ORIGENIS

DE

LIBERTATE ARBITRII

DOCTRINA

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

AUCTORE

E. MAURIAL

Γίνεται ψυχὴ μὲν ἐλευθέρα διὰ νοῦ.
PLOT. ; *Enn.* VI, l. VIII, c. VII.

MONSPELII, E TYPIS BOEHM

1856

ORIGENIS

DE

LIBERTATE ARBITRII

DOCTRINA

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

AUCTORE

E. MAURIAL

Γίνεται ψυχὴ μὲν ἐλευθέρα διὰ νοῦ.
PLOT.; *Enn.* VI, l. VIII, c. VII.

MONSPELII, E TYPIS BOEHM

1856

CARISSIMO MAGISTRO ET ORNATISSIMO VIRO

A BERGER

IN ACADEMIA PARISIENSI RHETORICES PROFESSORI

Grati discipuli pignus hoc dedicavit

E. MAURIAL.

ORIGENIS

DE

LIBERTATE ARBITRII

DOCTRINA.

PROLEGOMENA.

1. Origenis de libero arbitrio et de quæstionibus quæ inde pendent philosophicam doctrinam, ex ipsius libris excerptam, cur in hoc libello exposuerim excusserimque, duplex mihi causa fuit.

Quum enim hæc doctrina per se magnopere insignis mihi videatur et ea quæ uberrimos fructus verum in hac materia inquirenti fundere valeat, tum præterea rem esse non parvi momenti judicavi, si exploratum fieri possit rectene annon ab eruditissimis viris dicatur, per eam ex antiquis Græcæ philosophiæ fontibus pelagianismum defluxisse. Etenim quum

inde ortam esse merito asseveretur, per hæc etiam illustrabitur quid congruant, quidve differant inter se Socratica philosophia et Pelagianismus, et quid ex ista philosophia de excelsis quæ inter Augustinum et Pelagium habitæ sunt quæstionibus deduci possit.

Alia est sane philosophica illa de libero arbitrio, quod tueri conatur Origenes, alia inter Augustinum et Pelagium quæstio de gratia theologica; quin imo prior a posteriore minime pendet et ab ea abstrahi potest, reipsaque apud philosophos abstrahitur; sed non item ea quæ inter theologos de gratia habetur quæstio considerari potest seorsum a philosophica, cui contra ita subnectitur ut de gratia et meritis peccatoque originali aut de aliis in eodem genere disserenti, quamdam liberi arbitrii speciem, cui sententias suas accommodet, in mente inesse necesse sit. Itaque inter Pelagium et Augustinum de istis quæstionibus theologicis disputantes, imprimis de libertate dissensio intercedebat.

Verum enim quum de omni re duplex sit quæstio, sitne ea res de qua agatur, et deinde quid sit; nemo unquam, aut vere philosophus, aut theologus, adeo insanus exstitit, qui nobis inesse libertatem arbitrii negaret: quod autem ad alteram quæstionis partem attinet, omnes in hoc consentiunt ut liberi arbitrii nomine significetur ea facultas qua possumus velle aut nolle quod sit propositum. De hac vero autem potestate non parum ambigitur: alii enim simplicem et ab omni causa liberam illam fingunt; certam autem cujus-

cumque voluntatis actus esse causam, ita ut velimus aut nolimus prout res magis minusve nos alliciat aut avertat, contendunt alii, inter quos certamen rursus est quæ et quales sint istæ causæ, unde ortæ, solisne ex corporis appetitibus, an interdum etiam ex quadam innata principii rationabilis divina concupiscentia; perversane natura voluntas, ut placet Jansenio; an contra, ut Platoni et cæteris Socraticis, ita constituta sit, ut, si via ad bonum et honestum monstretur, hanc continuo sequatur.

Prior de priore præcipuaque quæstione opinio ea est quam sub nomine *libertatis indifferentiæ* vehementissime impugnat Leibnitzius, sub nomine autem *libertatis æquilibrii* Augustinus et Jansenius; quamque Pelagianam vocare fas est, quum ipsam totius suæ doctrinæ Pelagius, sive inscius sive non inscius fundamentum habuerit, discipulique ejus Cœlestius et Julianus, manifeste expresserint. Quæ controversia quamvis minutula argutulaque (si negligentius mentem intenderis), forsan videatur, ita tamen revera late patet, ut majorem, quum philosophiæ tum theologiæ partem ex ea pendere non dubitem affirmare, et omnino dissimiliter de providentia Dei ejusque actione in creaturam, de præscientia cum libertate concilianda, de bonorum malorumque causis, de gratia, de meritis, de ratione pœnarum et præmiorum, de ipsa Dei essentia, quemque sentire debere, prout hanc libertatis definitionem in mente accipiat rejiciatve. Quam igitur ob rem, quum in omni de libertate disceptatione, primum locum hæc quæstio tenere debeat, ut reipsa tenuit

apud Leibnitzium et plerosque qui fere, ab ætate christiana, de rebus divinis et humanis harumque rerum de finibus, ratione, lege et origine altius perscrutati sunt, hoc imprimis dijudicandum arbitramur num Origenes reipsa habuerit eam libertatis indifferentiæ notionem quam ei tribuere solent plerique eruditi viri una cum toto Pelagianismo, cui ista notio suffunditur.

II. Priusquam autem rem ipsam aggrediamur duplex erroris causa indicanda est, quarum una ex infida oritur Rufini interpretatione, qui multis in locis suam ipsius sententiam pro Origenis sententia supposuit. Cujus Rufini ad fallaciam jam confugit Huetius, de Pelagianismo Origenis tractans; sed magis sáne valeret illius argumentum, si eam fallaciam de ipsa libertate ex iis locis induxisset in quibus Origenis verba diversis modis torquet interpres ut illa flectat ad Pelagianorum sensum. Quædam hujusce modi exempla videre est in notis huic paginæ subjunctis [1].

[1] Ὅθεν ἐπεὶ ἐν τῇ φύσει τοῦ λόγου εἰσὶν ἀφορμαὶ τοῦ θεωρῆσαι τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρὸν, αἷς ἑπόμενοι θεωρήσαντες τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρὸν, αἱρούμεθα μὲν τὸ καλὸν, ἐκκλίνομεν δὲ τὸ αἰσχρόν· ἐπαινετοὶ μέν ἐσμεν ἐπιδόντες ἑαυτοὺς τῇ πράξει τοῦ καλοῦ, ψεκτοὶ δὲ κατὰ τὸ ἐναντίον. (Origenis opera ed. Benedict., t. I, p. 109.)

INTERPRETATIO BENEDICT.

Unde cum in rationis natura quædam sint ad honestum et turpe contemplandum adjumenta, quorum *ope utroque perspecto, honestum eligimus, turpe devitamus*, laude certe digni

INTERPRETATIO RUFINI.

Unde consequens est, ut, quoniam natura rationis hujus, quæ est in homine, habet in se vim dignoscendi boni vel mali, idque quum discernit, *inest ei facultas etiam eligendi quod*

Altera falsæ opinionis causa, ipsa rei obscuritas est, et variarum libertatis specierum parum rem perpendenti adeo tenue discrimen, ut mentis acutissimæ viros fugerit, et mos plerisque Pelagianis fuerit, si qui, liberum arbitrium sine

sumus, dum nos honestati dedimus; vituperio, dum in contrarium dilabimur.

probaverit, in eligendo quidem quod bonum est, laudabilis, in sequendo vero quod turpe vel malum est, jure culpabilis judicetur.

Apud auctorem, e judicio rationis electio; apud interpretem, e rationis judicio facultas eligendi. Quid significantius? In sequentibus item:

[2] *Ὅτι δὲ ἔργον ἡμέτερον τὸ βιῶσαι καλῶς ἐστι, καὶ αἰτεῖ ἡμᾶς τοῦτο ὁ θεὸς, ὡς οὐκ αὐτοῦ ὂν, οὐδὲ ἐξ ἑτέρου τινὸς παραγινόμενον, ἢ, ὡς οἴονταί τινες, ἀπὸ εἱμαρμένης, ἀλλ' ἢ ὡς ἡμέτερον ἔργον, μαρτυρήσει ὁ προφήτης Μιχαίας.* (Ibid., *Ibid.*, p. 111.)

INT. BENEDICT.

Nostrum porro opus esse *recte vivere:* idque a nobis non quasi suum, neque ab alio quolibet datum, neque, ut quidam putant, a fato, sed ut nostrum opus, Deum postulare, testabitur Michæas......

INT. RUFINI.

Ut autem ea quæ ratio consequenter ostendit, etiam auctoritate scripturarum firmemus, id est, quod nostri operis est *recte vel minus recte vivere*......

Καὶ εἴ τινα ἄλλην δίδωσιν ἐντολὴν, ὡς ἐφ' ἡμῖν ὄντος τοῦ φυλάξαι τὰ προστεταγμένα, φησί· καὶ εὐλόγως ἐνόχων ἡμῶν τῇ κρίσει ἐσομένων εἰ παραβαινοίμην αὐτά. (Ibid., *Ibid.*, p. 112.)

INT. BENEDICT.

Et cum dat cætera quæque mandata, itadat, quasi nobis ea servare sit integrum, ut jure rei judicio futuri simus, si ea perfringamus.

INT. RUFINI.

Et cum dat cætera mandata, quid aliud indicat, nisi quod in nostra *potestate est observare posse* quæ mandantur? Et propter hoc recte rei efficimur judicio, si prævaricemur ea quæ utique servare poteramus.

Quo absurdior ea connexio verborum *potestas posse*, eo magis per eam quid velit illius auctor significatur.

distinctione asseverantes, ipsorum sensum non repellerent, eos inter suos adscribere, si qui vero repellerent, eos in numero habere res omnes fatorum necessitati submittentium, solitique sint etiam Pelagianorum adversarii non-

Docet Origenes hominis τελείωσιν ab ipso quidem non totam pendere, ipso tamen nihil agente non posse fieri, sed a Deo, pro parte majori, proficisci (ἀλλὰ θεὸς τὸ πολὺ ταύτης ἐνέργει); deinde hæc addit:

Καὶ ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γοῦν σωτηρίας πολλαπλάσιόν ἐστιν εἰς ὑπερβολὴν τὸ ἀπὸ τοῦ θεοῦ, τοῦ ἀπὸ τοῦ ἐφ' ἡμῖν. (Ibid., *Ibid.*, p. 151.)

INT. BENEDICT.

Sic in nostra salute longe majus est quod a Deo, quam quod a nostro est libero arbitrio.

INT. RUFINI.

Ita etiam in nostræ vitæ cursu a nobis quidem dependendus est labor, et studium atque industria adhibenda; laboris nostri vero *fructus* a Deo speranda est salus.

Hæc etiam (hodie non exstant) apud auctorem nostrum legebantur:

EX INTERPRETATIONE HIERONYMI.

Quæ, si secundo necessitas postularit, ob lapsum rationabilium creaturarum, rursus existet (natura corporum). Deus enim in certamen et luctam animas dereliquit, ut intelligant plenam consummatamque victoriam non ex propria se fortitudine, sed ex Dei gratia consecutas (Ibid., *Ibid.* p. 81).

EX INTERPRETATIONE RUFINI.

Possibile enim videtur ut rationabiles naturæ, *a quibus nunquam aufertur liberi facultas arbitrii*, possint iterum aliquibus motibus subjacere, indulgente hoc ipsum Domino, ne forte, si immobilem semper teneant statum, ignorent se Dei gratia, et non sua virtute, in illo *fine beatitudinis* constitisse.

Quanam mente, quum de ipsa virtute, de ipsa perfectione (τελειώσει) loquitur auctor, de præmiis virtuti propositis, de *fructibus* a Deo sperandis, de *beatitudine* locutus sit interpres; quonam animo istæ voces « *a quibus numquam aufertur liberi facultas arbitrii* » ab eo additæ sint, nemini dubium esse potest. Non dissimili mente auctoris declarantis Deum homines ad bonum perducentem hæcce verba ita torquet Rufinus ut

nulli, eos qui, non, ut ipsi, imbecillem omnino et inertem voluntatem servumque arbitrium non concederent, inter scriptores numerare qui illud ab omni causa solutum inducunt.

det intelligendum per ea solam potestatem ad bonum perveniendi a Deo homini datam significari.

...τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ θεὸς γινώσκων τὰ κρύφια τῆς καρδίας, καὶ προγινώσκων τὰ μέλλοντα, διὰ τῆς μακροθυμίας ἐπιτρέπει τάχα καὶ διὰ τῶν ἔξωθεν συμβαινόντων ἐφελκόμενος τὸ ἐν κρυπτῷ κακὸν ὑπὲρ τοῦ καθᾶραι τὸν δι'ἀμέλειαν τὰ σπέρματα τῆς ἁμαρτίας κεχωρηκότα, ἵνα εἰς ἐπιπολὴν ἐλθόντα αὐτά τις ἐμέσας..... (Ibid., *Ibid.*, p. 121.)

INT. BENEDICT.

...hoc modo et Deus qui novit occulta cordis et futura prævidet, per patientiam forte permittit firi quædam, et per ea quæ extrinsecus incidunt, occultum malum extrahit ut *expurget* eum qui per negligentiam semina in se peccati receperit, utque is, quum hæc ad superficiem venerint, et ea evomuerit............

INT. RUFINI.

...hoc ergo modo et Deus qui noscit occulta cordis, et prænoscit futura, per multam patientiam indulget fieri quædam quæ extrinsecus incidentia hominibus provocent proferri et in lucem procedere passiones et vitia quæ celantur intrinsecus: ut per hæc *expurgari et curari possint* hi.... ut ejecta foras (semina peccatorum) evomi *possint* et digeri.

Οὕτως οὖν ἐπαγγέλλεται ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐμποιήσειν ἐπιστήμην τοῖς προσιοῦσιν, ἐξελὼν τὴν λιθίνην καὶ σκληρὰν καρδίαν, ὅπερ ἐστὶ, τὴν κακίαν, ὑπὲρ τοῦ τινα πορεύεσθαι ἐν ταῖς θείαις ἐντολαῖς καὶ φυλάσσειν τὰ θεῖα προστάγματα. (Ibid., *Ibid.*, p. 125.)

INT. BENEDICT.

Sic itaque pollicetur Dei sermo se scientiam accedentibus ad se inditurum, durum et lapideum cor, hoc est, malitiam auferendo, ut in divinis mandatis *ambulent*, et divina præcepta *custodiant*.

INT. RUFINI.

Ita etiam in hoc divinus sermo promittit daturum se esse eruditionem auferendo cor lapideum, id est, abstergendo malitiam, ut *possint* per hoc in divinis *ambulare* præceptis et legis mandata *servare*.

De meritis pœnis et præmiis quæ sit interpretis fides ex istis videre est.

Quæ quum ita sint, ut ab utraque erroris causa supra dicta caveatur, prius discrimen faciendum erit num unumquodque argumentum quo auctoris nostri Pelagianismus probetur, ex ipsius, an ex interpretis verbis depromptum sit. Deinde

....ἴδωμεν καὶ ἀπὸ προφητικοῦ λόγου τί φασιν οἱ πολλῆς χρηστότητος θεοῦ πεπειραμένοι καὶ μὴ βιώσαντες καλῶς, ἀλλὰ μετὰ ταῦτα ἁμαρτήσαντες. (Ibid., *Ibid.*, p. 119.)

INT. BENEDICT.	INT. RUFINI.
...videamus ex prophetico sermone quid dicant ii qui *Dei benignitatem experti sunt* nec honeste vixerunt, sed postea peccarunt......	...adhibeamus etiam propheticæ auctoritatis assensum, et videamus quid etiam prophetæ pronuncient de his qui primo quidem recte viventes, *benignitatis Dei habere quam plurima experimenta meruerunt*, postea vero ut homines deliquerunt........

Quid potest esse manifestius? Hocce confer etiam :

Ἐγκαταλείπει δὲ μὴ κολαζομένους τοὺς πλείονας, ἵνα τε τὰ ἑκάστου ἤθη ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν ἐξετασθῇ, καὶ φανεροὶ μὲν ἐκ τῆς γενομένης βασάνου οἱ κρείττους γένωνται· οἱ δὲ λοιποὶ μὴ λαθόντες, οὐχὶ θεὸν, πάντα γὰρ οἶδε πρὸ γενέσεως αὐτῶν, ἀλλὰ τὰ λογικὰ καὶ αὐτοὺς, ὕστερον τύχωσιν ὁδοῦ θεραπείας· οὐκ ἂν ἐγνωκότες τὴν εὐεργεσίαν, εἰ μὴ ἑαυτῶν κατεγνώκεισαν· ὅπερ συμφέρει ἑκάστῳ ἵνα αἴσθηται τῆς ἰδιότητος αὐτοῦ καὶ τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ. Ὁ δὲ μὴ αἰσθανόμενος τῆς ἰδίας ἀσθενείας καὶ τῆς θείας χάριτος κἂν εὐεργετῆται μὴ ἑαυτοῦ πεπειραμένος, μηδὲ ἑαυτοῦ κατεγνωκὼς, οἰήσεται ἴδιον εἶναι ἀνδραγάθημα τὸ ἀπὸ τῆς οὐρανίου χάριτος αὐτῷ ἐπιχορηγηθέν· τοῦτο δὲ οἴημα ἐμποιῆσαν καὶ φυσίωσιν, αἴτιον ἔσται καταπτώσεως, ὅπερ νομίζομεν, καὶ περὶ τὸν διάβολον γεγονέναι ἑαυτῷ χαρισάμενον ἃ εἶχε προτερήματα, ὅτε ἄμωμος ἦν. (Ibid., *Ibid.*, p. 120.)

INT. BENEDICT.	INT. RUFINI.
Relinquit autem impune plerosque, ut singulorum mores ex	Relinquit Deus et negligit eos *quos correptione judicarit indigno*

diligentissime examinandum hancne potius quam alteram liberi arbitrii speciem hæc verba repræsentent, et, si ita sit, utram significent. Quum enim liberam natura institui creaturam rationis participem, alia significatione a Pelagianis,

libera voluntate exquirantur, et meliores ex illo examine manifesti fiant; reliqui vero qui Deo non latent (omnia quippe novit antequam fiant) sed rationabili creaturæ sibique ipsis, postea viam salutis inveniant: qui beneficium non agnovissent, nisi se ipsos condemnassent; quod quidem unicuique confert, ut conditionem suam et Dei gratiam sentiat. Qui vero propriam imbecillitatem, et Dei gratiam non sentit, etsi adjuvetur, nisi suarum virium experimentum ceperit, et seipsum condemnarit, suum esse facinus existimabit quod ei divino munere concessum est. Quæ opinio animi elationem generat et causa fit ruinæ: quod et diabolo accidisse putamus, qui excellentiam illam, quam habebat tunc quum erat immaculatus, sibi arrogabat.

«quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.» Ex quo arbitrandum est in filiorum jam ordinem et affectum recipi eos qui flagellari a Domino meruerint et corripi, quo scilicet et per tentationum et tribulationum patientiam possint etiam ipsi dicere: «Quis nos separabit a caritate Dei quæ est in Christo Jesu? Tribulatio? an augustia? an fames? an nuditas? an periculum, an gladius?» Per hæc enim omnia manifestatur et proditur unius cujusque propositum et perseverantiæ firmitas indicatur, non tam Deo qui novit omnia antequam fiant, quàm rationabilibus cœlestibusque virtutibus, quæ utique procurationem humanæ salutis velut quædam adjutrices Dei ministræque sortitæ sunt. Hi vero qui nondum se tanta constantia, neque tanto affectu offerunt Deo, neque parati sunt accedentes ad servitutem Dei præparare animas suas ad tentationem, derelinqui dicuntur a Deo, id est, non erudiri pro eo quod ad erudiendum parati non sunt, in posterum sine dubio tempus eorum dispensatione vel curatione dilata. Qui utique quid a Deo

alia ab Augustini discipulis, alia vero a Platonicis, alia etiam ab aliis prædicetur; omnibus ex una parte, simili modo, ex altera vero dissimili, sentientibus; per circulum vitiosum sane concluderet, qui, ex eo quod auctor quidam simpliciter

consequentur, ignorant, nisi prius ad beneficii consequendi desiderium venerint: quod ita demum fiet, si quis ante semetipsum cognoscat, et sentiat quid sibi desit; et quod sibi deest, a quo quærere vel debeat vel possit intelligat. Qui enim non intellexerit prius infirmitatem vel ægritudinem suam, medicum quærere nescit: vel certe, quum receperit sanitatem, non erit gratus medico, qui non prius periculum sui languoris agnovit.

Quamvis sub finem fere ad scriptoris sensum, sed diversis verbis redeat, non minus tamen notanda quæ addit ab initio interpres. « Relinquit et negligit *eos quos correptione judicarit indignos* » per quæ penitus ille sensus subvertitur. Illud quoque notatu dignum in interpretatione Rufini ne vocem quidem *gratiam* proferri et ista deleri aut torqueri, *suum esse facinus existimabit quod ex divino* munere concessum est.

Hanc eamdem Origenis tam propriam, tamque a Pelagianismo abhorrentem de pœnis et meritis totaque in universum cura aut, ut ita dicam, *οἰκονομία* qua rationabiles creaturas ad bonum convertere contendit benignus Deus doctrinam, vide quam paulo infra iterum immutare conetur Pelagianus interpres.

Εἰκὸς οὖν καὶ τοὺς ἔξω περὶ ὧν ὁ λόγος, τῷ σωτῆρι κατὰ τὸ προκείμενον ἑωραμένους οὐ βεβαίους ἔσεσθαι ἐν τῇ ἐπιστροφῇ, εἰ τρανότερον ἀκούσαιεν τῶν λεγομένων, ὑπὸ τοῦ κυρίου ᾠκονομῆσθαι μὴ σαφέστερον ἀκοῦσαι τῶν βαθυτέρων, μήποτε τάχιον ἐπιστρέψαντες καὶ ἰαθέντες ἐν τῷ ἀφέσεως τυχεῖν, ὡς εὐχερῶν τῶν τῆς κακίας τραυμάτων καὶ εὐιάτων καταφρονήσαντες, πάλιν καὶ τάχιον αὐτοῖς περιπέσωσι. Τάχα δὲ καὶ τίνοντες δίκας τῶν προτέρων ἁμαρτημάτων ὧν

liberum arbitrium affirmaverit, hoc illum tali aut tali sensu affirmasse contenderet. Libertatem arbitrii sane celebrat et acerrime tueri conatur Origenes, et inde sequentia de meritis pœnis et præmiis quæ vulgo accipiuntur et ipse accepit; sed

εἰς τὴν ἀρετὴν ἐπλημμέλησαν καταλιπόντες αὐτὴν, οὐδέπω τὸν χρόνον ἐκπεπληρώκεσαν· τῷ καταλειπομένους αὐτοὺς ἀπὸ τῆς θείας ἐπισκοπῆς ἐπιπλεῖον ἐμφορηθέντας τῶν ἰδίων ἃ ἔσπειραν κακῶν, ὕστερον εἰς βεβαιοτέραν μετάνοιαν καλεῖσθαι· οὐ ταχέως περιπεσουμένους οἷς πρότερον περιπεπτώκεσαν τὸ ἀξίωμα ἐνυβρίσαντες τῶν καλῶν, καὶ τοῖς χείροσιν ἑαυτοὺς ἐπιδεδωκότες. (Ibid., *Ibid.*, p. 127.)

INT. BENEDICT.

Quum ergo videret salvator eos qui foris sunt, et de quibus nunc sermo est, in conversione non fore stabiles, si verba ejus manifestius audirent, verisimile est ita cum illis egisse dominum ut altiora non aperte intelligerent, ne forte celerius conversi, et, venia peccatorum accepta, sanati, vitiorum vulnera quasi curatu facillima contemnerent, et citius in eadem reciderent. Fortassis etiam præstitutum eis ad eluenda quæ, derelicta virtute, prius admiserant peccata, tempus nondum expleverant. Divina quippe illos dereliquerat cura ut, *propriis quæ perpetraverant malis satiati, tandem ad firmiorem pœnitentiam vocarentur*, nec facile postea in priora reciderent peccata quibus honestatis dignitatem corruperant, et improbitati sese dederant.

INT. RUFFINI.

Possibile ergo est ut apud eos quibus foris positis Domini et salvatoris nostri sermo fiebat, pro eo quod scrutans corda et renes prævidebat eos *nondum aptos esse manifestioris eloquii recipere doctrinam*, profundioris sacramenti fidem velato sermone contegeret; ne forte velociter conversi ac sanati, *id est*, peccatorum suorum remissione celeriter accepta, facile iterum in eumdem reciderent morbum, quem senserant sine aliqua difficultate curatum. *Quod utique* si fiat, *nulli dubium est duplicari pœnam*, *et mali augmenta cumulari dum non solum peccata quæ remitti visa fuerant repetuntur, verum, etiam virtutis* aula polluitur si eam dolosæ et contaminatæ mentes plenæ intrinsecus malitiæ latentis conculcent. Et quod unquam talibus remedium erit, qui post malitiæ impuros ac sordidos cibos, degustata virtutis suavitate, dulcedine ejus suis faucibus

inquirendum est, quæ sit ea libertas itemque ratio meritorum. Sane nos a coactione immunes idem declarat : etiamne a necessitate? A necessitate sane carnalium appetituum solutam inducit voluntatem : sed quid inde, quum illud sive per

recepta, rursus se ad virulentos et mortiferos cibos nequitiæ converterunt? et quis dubitat melius esse differri, et interim relinqui, ut si *forte* satietatem malitiæ aliquando ceperint, et horrescere potuerint sordes in quibus nunc interim delectantur, tunc demum competenter eis sermo Dei manifestetur, et non sanctum canibus mittatur, nec margaritæ......

Quid in littera græca his verbis respondet : *quod utique si fiat, nulli dubium est duplicari pœnam* etc. Quid vult interpres quum auctorem qui asseverat « relictos a deo peccatores ut ad firmiorem pœnitentiam vocentur » inducit dicentem « relictos ut, si forte satietatem malitiæ ceperint...... competenter eis sermo Dei manifestetur? » Quid quum hæc vox *forte* ab eo additur? Quid quum has voces *conversi* et *sanati* definiens, subjungit « *id est* peccatorum suorum remissione accepta, » quasi apud Origenem creaturæ vitiorum rationabili vitiorum sordibus inquinatæ nil aliud unquam conferat Deus quam ut ei remissionem antea patratorum facinorum concedat.

Sequentibus paginis (134, 135, 136) inquirat lector cur hæc verba *pro meritis* quæ non sunt apud Originem, ab isto multoties addantur.

His dictis « cur eis in perniciem ipsorum prædicavit salvator ut gravius ipsis peccatum imputetur » sic pergit auctor.

Λεκτέον πρὸς αὐτὸν, ὅτι ὁ πάντων τὰς διαθέσεις κατανοῶν τῶν αἰτιωμένων αὐτοῦ τὴν πρόνοιαν, ὡς παρ' ἐκείνην μὴ πεπιστευκότων, μὴ δωρησαμένην, ἰδεῖν ἃ ἑτέροις θεάσασθαι ἐχαρίσατο, καὶ μὴ οἰκονομήσασαν ἀκοῦσαι τούτων, ἃ ἄλλοι ἀκούσαντες ὠφέληνται· τὴν ἀπολογίαν οὐκ εὔλογον οὖσαν ἐλέγξαι βουλόμενος δίδωσι ταῦτα ἃ οἱ μεμφόμενοι τὴν διοίκησιν αὐτοῦ ᾔτησαν· ἵνα μετὰ τὸ λαβεῖν μηδὲν ἧττον ἐλεγχθέντες ὡς ἀσεβέστατοι τῷ μηδ' οὕτως τῷ ὠφελεῖσθαι ἑαυτοὺς ἐπι-

indifferentiam Pelagianam sive per vim hujus principii quod à Platone τὸ λογιστικὸν vocatur, æque fieri possit? Crebro affirmat sane quædam in nobis sita esse : quid autem inde, quum sub iis vocibus *in nobis esse* tam diversæ sententiæ

δεδωκέναι, παύσωνται τοῦ τοιούτου θράσους, καὶ κατ' αὐτὸ τοῦτο ἐλευθερωθέντες μάθωσιν ὅτι πότε εὐεργετῶν τινας ὁ θεὸς μέλλει καὶ βραδύνει, μὴ χαριζόμενος ὁρᾷν καὶ ἀκούειν τοιαῦτα ἐφ' οἷς ὁραθεῖσι καὶ ἀκουσθεῖσι, βαρυτέρα καὶ χαλεπωτέρα ἡ ἁμαρτία ἐλέγχεται τῶν μετὰ τηλικαῦτα καὶ τοιαῦτα μὴ πεπιστευκότων. (Ibid., *Ibid.*, p. 128.)

INT. BENEDICT.

Respondebimus, Deum qui novit quomodo affecti sint ii omnes qui providentiam suam criminantur, quasi per eam steterit quominus crederent, quippe quæ non dederit ipsis videre quæ aliis spectanda præbuit, neque sic eos disposuerit ut audirent quæ aliis audiisse profuit, justa eos non uti excusatione ostendere volentem, ea dare quæ providentiæ suæ accusatores petierant, ut iis acceptis nihilominus summæ impietatis convicti quod nihil inde utilitatis perceperint, deponant ejusmodi audaciam, sicque liberati discant Deum in conferendis beneficiis cunctari nonnunquam et morari, nec ea videnda et audienda præbere, quibus et visis et auditis gravior eorum culpa arguatur quos tot ac tanta ad fidem non adduxerint.

INT. RUFINI.

..volens arguere occasiones hujuscemodi querelarum, et ostendere quia non dissimulatio divinæ providentiæ, sed *humanæ mentis arbitrium causa sibi perditionis exsistit*, contulit etiam indignis et incredulis gratiam benefactorum suorum, ut vere omne os obstruatur, *totumque a se et nihil a Deo deesse sibi* mens humana cognoscat, simul et quia gravius condemnatur is qui divina beneficia sibi collata contempsit, *quam ille qui consequi ea vel audire non meruit*, intelligat et agnoscat misericordiæ esse divinæ et æquissimæ ejus dispensationis, etiam hoc ipsum quod interdum dissimulat aliquibus præstare ut vel videant, vel audiant virtutis divinæ mysteria, ne signorum virtutibus visis, et sapientiæ ejus mysteriis agnitis et auditis, si contempserint atque neglexerint, graviore impietatis animadversione mulctentur.

lateant apud varios scriptores, quorum alii inesse nobis facultatem quidquid velimus faciendi, sed voluntatem ipsam non liberam esse intelligunt; alii autem ipsum *velle* ex nobismet ipsis diversissimis inter se modis, ut supra diximus, interpretantur. Sane penes nos esse (ἐφ' ἡμῖν) honestum deligere sæpe declarat : quid autem per hoc vocabulum *nos* intelligendum sit? Solane et abstracta voluntas, an totus ipse homo cum totis sive mentis, sive animi viribus? et quales sint eæ vires? In hoc quæstio versatur.

PARS PRIMA.

I. — Quibus positis, hoc imprimis contendimus, a Pelagiana opinione, quæ ipsi vulgo tribuitur, platonicum necnon christianum doctorem omnino abhorruisse. Etenim loca ipsa ubi de libero arbitrio ab eo disputatum est, legendo si percurreris, et præsertim ad cæteras illius philosophicæ doctrinæ partes intenderis animum, tibi profecto patebit non modo nihil apud illum reperiri libertatem absolutam sonans, sed etiam isti libertatis notioni totam illius doctrinæ rationem repugnare.

Primum in eo usurpatissimo capite (L. III τοῦ περὶ ἀρχῶν) in quo hoc sibi unum proposuit, ut libertatem patefaceret, eam, quæ est in homine potestatem non solum (quod est omnium animantium) per se ipsum agendi, sed etiam eos impetus ipsis imaginibus quibus solis cætera animalia mo-

ventur provocatos refrenandi, et omnibus quæ nos extrinsecus movent corporique ipsi nostro obsistendi vim, mirum in modum notam facit et confirmat. Illa autem potestas (in eo tota consistit quæstio) tantum abest ut ea sit quam plurimi doctori nostro tribuunt ab omni causa soluta libertas, ut contra, in ratione et omnibus in rebus quæ ex ratione pendent, institutis scilicet et disciplina et monitis, itemque in ea qua prædita est voluntas potestate ex rationis judiciis agendi, sitam esse manifestissime ab eo prædicetur. Postquam enim ea quæ homini sunt cum cæteris animalibus communia descripsit, sic pergit : *Τὸ μέντοι λογικὸν ζῶον καὶ λόγον ἔχει πρὸς τῇ φανταστικῇ φύσει τὸν κρίνοντα τὰς φαντασίας, καί τινας μὲν ἀποδοκιμάζοντα, τινὰς δὲ παραδεχόμενον, ἵνα ἄγηται τὸ ζῶον κατ' αὐτάς. Ὅθεν ἐπεὶ ἐν τῇ φύσει τοῦ λόγου εἰσὶν ἀφορμαὶ τοῦ θεωρῆσαι τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρὸν, αἷς ἑπόμενοι, θεωρήσαντες τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρὸν, αἱρούμεθα μὲν τὸ καλὸν, ἐκκλίνομεν δὲ τὸ αἰσχρόν· ἐπαινετοὶ μέν ἐσμεν ἐπιδόντες ἑαυτοὺς τῇ πράξει τοῦ καλοῦ, ψεκτοὶ δὲ κατὰ τὸ ἐναντίον* [1].

Quid aliud in his invenies quam spontaneam vim et intellectum ex quibus conjunctis liberum effici arbitrium, Leibnitzius, ab Aristotele non dissentiens, professus est?

[1] « At vero animal rationis compos præter naturam imaginantem, rationem habet quæ imagines dijudicat, alias quidem rejiciens, alias vero ita suscipiens ut animal eis ducatur. Unde quum in rationis natura quædam sint ad honestum et turpe contemplandum adjumenta quorum ope, utroque perspecto, honestum eligimus, turpe devitamus; laude certe digni sumus dum nos honestati dedimus; vituperio, dum in contrarium delabimur.» — Ibid., *Ibid.*, pag. 109.

Num aliud designant hæc quæ paulo infra sic scripta sunt? Ὁδέ τις ἔμπαλιν, τῶν αὐτῶν συμβεβηκότων αὐτῷ πλείονα μαθήματα ἀνειληφότι καὶ ἠσκηκότι, οἱ μὲν γαργαλισμοὶ καὶ οἱ ἐρεθισμοὶ συμβαίνουσι· Ὁ λόγος δὲ ἅτε ἐπὶ πλεῖον ἰσχυροποιηθεὶς καὶ τραφεὶς τῇ μελέτῃ, καὶ βεβαιωθεὶς τοῖς δόγμασι πρὸς τὸ καλόν, ἢ ἐγγύς γε τοῦ βεβαιωθῆναι γεγενημένος ἀνακρούει τοὺς ἐρεθισμοὺς καὶ ὑπεκλύει τὴν ἐπιθυμίαν [1].

Lege præterea, quæ in alio loco ejusdem operis περὶ ἀρχῶν reperiuntur. « Verum certis quibusque et modis, et » disciplinis, et temporibus subjectio ista complebitur : non » necessitate aliqua ad subjectionem cogente, ne per vim » subditus fiat omnis mundus Deo, *sed verbo*, *ratione*, » *doctrina*, provocatione meliorum, institutionibus optimis, » comminationibus quoque dignis.... [2] »

Quî manifestius declarari potest quamnam necessitatem repellat auctor et quamnam libertatem huic necessitati opponat? et tamen hæc apertius etiam enuntiata videbuntur his verbis ex commentariis ejusdem auctoris in epistola ad Romanos decerptis : « Alius vero (modus dominationis) est, » quo, tanquam bonus et boni patris filius non vult rationabiles spiritus ad obedientiam legis suæ violenter inflec» tere, sed expectat ut sponte veniant, ut *voluntate* et non

[1] « Contra alteri qui pluribus disciplinis est instructus, in eisque se exercuit, eædem quidem titillationes et illecebra contingunt; at ratio quippe quæ vehementius est roborata et in meditatione educata atque in virtutis studio doctrinis confirmata, aut proxime ad eam perducta firmitatem, illecebras excutit et libidinem exsolvit. » — Ibid., *Ibid.*, pag. 110.

[2] Ibid., *Ibid.*, p. 151.

» *necessitate* bonum quærant, et *docendo* magis quam impe-» rando, *invitando* potius quam extorquendo persuadeat[1]. »

Non igitur ubi causa suasionis adest, sed ubi persuasio abest, ibi necessitas; libertasque ipsa voluntas est, ut definitur ab Augustino et deinde ab ipso Jansenio, qui, sicut qui maxime, nostrum arguit viam Pelagio aperuisse. Hæcce, quæ ex libello περὶ εὐχῆς excerpta sunt, ab ipso Lipsiano philosopho scripta verba esse dicas : *οἱ τοίνυν θέλοντες μηδὲν εἶναι ἐφ' ἡμῖν, ἀναγκαίως ἠλιθιώτατόν τι παραδέξονται· πρῶτον μὲν ὅτι οὐκ ἐσμὲν ζῶα, δεύτερον δὲ ὅτι οὐδὲ λογικά· ἀλλ' οἷον ὑπὸ ἔξωθεν κινοῦντος αὐτοὶ οὐδαμῶς κινούμενοι, ποιεῖν ὑπ' ἐκείνου λεγοίμεθα, ἃ ποιεῖν νομιζόμεθα*[2]. Sequentia certe idem philosophus non improbasset : *Ἄλλωςτε καὶ τοῖς ἰδίοις πάθεσιν ἐπιστήσας τις ὁράτω, εἰ μὴ ἀναιδῶς ἐρεῖ μὴ αὐτὸς θέλειν, καὶ μὴ αὐτὸς ἐσθίειν, καὶ μὴ αὐτὸς περιπατεῖν, μηδὲ αὐτὸς συγκατατίθεσθαι, καὶ παραδέχεσθαι ὁποιαδήποτε τῶν δογμάτων*[3].

Insuper nobiscum reputemus quid fuerit Origenis in iis et similibus locis propositum et quam a Pelagiano proposito alienum. Pelagio cum Augustino controversia de gratia

[1] Ibid., t. IV, p. 66.

[2] « Igitur qui nihil esse volunt in nostra potestate, eos ineptissimum » illud admittere necesse est, *nos animantes non esse*, deinde neque ra-» que rationales, sed quasi *ab extero motos*, *nosmet* ipsos ulla tenus mo-» ventes, ita ut ab illo fieri dicenda sint quæ facere credimur. » — Ibid., t. I, p. 206.

[3] « Præterea attendat aliquis ad ea quæ in se sentit, et videat, num » sine impudentia negare possit se ipsum comedere, se ipsum ambulare, » se ipsum assentiri.... » — Ibid., t. I, p. 206. v. præt. *Ibid.*, p 405, 492.

erat, ex qua sive præsente sive deficiente singulos bonos malosve voluntatis actus oriri affirmabat Hipponensis episcopus. Quum ideo ab isto per hoc ipsum tolli liberum arbitrium Pelagius contenderet, hac voce *liberum* ab omni momento solutum certe significabat. Nostro autem cui solummodo in animo erat impugnare eos qui motibus astrorum, aut corporis legibus, omnem humanarum rerum seriem devincientes, potestatem ex mentis judiciis quidquam agendi tollerent, quid profuisset non solum ab exterarum rerum fato, cæcisque corporis appetitibus, sed etiam rationalibus agendi causis solutam voluntatem declarare? Non solutam non declarasse, et libertatem indifferentiæ his in locis expresse non negasse illum, equidem fateor. Sed quid negasset, quum a nemine forsan affirmaretur? Esto, affirmata fuerit : quorsum igitur ille impugnasset opinionem, qua nimis augeretur potius quam tolleretur minueretur ve id ipsum quod tueri conabatur? Forsan autem illam opinionem Nostrum implicite negasse non temere dixerit quispiam, quod ille sententiam prorsus dissimilem protulerit, præsertim iis in locis

[1] Quum autem pugnat adversus eos (imprimis Valentinianum) potissimum qui naturas inducunt hinc perditas, quæ non servari possunt, inde salvas etiam quæ nullo modo perire possunt; nonne videtur, dicat quispiam, attingere quæstionem de voluntatis momentis, et voluntatem ipsam ab omni momento vel interiore solutam facere? Sed quod opponit Origenes Valentinianorum naturæ, abstracta quædam boni et mali, potentia (δύναμις) est, quæ adeo non est in homine ab omni causa definita et ab ipso Deo absoluta agendi potestas, ut contra conditio et actionis divinæ in hominem et sub respectu ad Deum dicatur. — Ibid., t. I. p. 114.

ubi, nulla omnino de causis consilii capiendi disceptatione habita, ipsam simpliciter a necessitate sejungit voluntatem quam libertatem esse non solum a Jansenio asseritur, ut supra diximus, sed etiam ab omnibus qui voluntati quam minimam libertatem tribuere solent.

Sed jam nunc ostendamus quod in hac disputatione nobis maxime pollet, scilicet in omnibus nostri auctoris doctrinæ philosophicæ partibus hanc velut fundamentum subjacere opinionem, non ab omni causa solutam esse voluntatem; sed contra antecedentium causarum ex serie pendere.

II. 1. Quod quidem non sine quadam verisimilitudine jam conjeceris ex iis quæ ille sensit de voluntate Dei, quam nulli justitiæ aut boni adstrictam legi non adeo constituit, ut contra, illam, natura (τῇ φύσει) justissimam, sanctissimam et optimam, et suum necessario sibi finem proponentem judicet. Ipsum audi loquentem :

« Ἡμεῖς δέ φαμεν, ὅτι, ὥςπερ οὐ δύναται τὸ πεφυκὸς γλυκαίνειν, τῷ γλυκὺ τυγχάνειν, πικράζειν, παρὰ τὴν αὐτοῦ μόνην αἰτίαν· οὐδὲ τὸ πεφυκὸς φωτίζειν, τῷ εἶναι φῶς, σκοτίζειν· οὕτως οὐδὲ ὁ θεὸς δύναται ἀδικεῖν, ἐναντίον γάρ ἐστιν αὐτοῦ τῇ θειότητι καὶ τῇ κατ' αὐτὴν πάσῃ δυνάμει ἡ τοῦ ἀδικεῖν δύναμις. Εἰ δέ τι τῶν ὄντων δύναται ἀδικεῖν, τῷ καὶ πρὸς τὸ ἀδικειν πεφυκέναι, δύναται ἀδικεῖν οὐκ ἔχον ἐν τῇ φύσει τὸ μηδαμῶς δύνασθαι ἀδικεῖν [1].

[1] « Dicimus autem nos, quemadmodum id cujus nativa dulcedine res aliæ dulcescunt, illas non potest amaras facere, quod contra suam natu-

Quum igitur plerisque philosophis solemne fuerit per similitudinem ab homine ad Deum suas notiones transferre, et si quidam, ut, verbi gratia, Cartesius, pleniorem creatori quam creaturæ tribuerunt libertatem, nulli sane magis restrictam fecerunt; ex eo quod de una voluntate sensit auctor quid de altera senserit, non immerito certe judicabis.

2. Cum his quæ de divina voluntate asserit, optime congruunt quæ de sanctorum voluntate profert christianus Doctor et de horum *impeccantia*, quemadmodum ipse vocat. Quæ impeccantia tam parum intellecta est, ut, quamvis a Pelagii doctrina aversissima et expresse ab ipso Pelagio repulsa, cur Origenes pelagianismi insimulatus fuerit, non in levi causa tamen extitit. Impeccantiam sane ipse asseruit Pelagius, sed eodem nomine alia res ab uno, alia ab altero scriptore significatur; scilicet a Nostro quod sanctissimis inest non posse peccare; a Pelagio, autem qui hujus discipulus falso dictus est, quod cuique homini inhæret posse non peccare. Quem duplicem sensum merito arguit Jansenius, et illius causam his verbis recte significat: « Quam » vocabulorum latinorum indifferentiam Hieronymus for- » tassis ex Græco mutuatus est. Nam quod nos non peccare, » atque etiam non posse peccare dicimus, hoc Græci uno

ram esset; neque id potest obscurare quod natum est ad illustrandum; ita nec Deum injuste facere posse. Hæc enim potestas ejus divinitati contraria est, et illi omnipotentiæ, quam ut Deus habet. Si quid autem ex rebus creatis natum ad injuste faciendum injuste facere potest, hæc illi inde potestas oritur, quod ejus natura non sit non posse injuste facere. » Ibid., t. I, p. 494.

» verbo ἀναμάρτητον εἶναι vel ἀναμαρτησίαν vocant, ut a Scapula » et Henrico Stephano observatum est : pari fere modo im- » peccabilem esse latinis utrumque significare potest, et » eum qui in eo perfectionis statu est ut ultra non peccet, » et eum qui peccare non potest. »[1] In eodem autem loco ubi egregie de vocabulo, de re ipsa pessime, mea quidem sententia, judicavit Yprensis episcopus : ille quidem merito Hieronymum reprehendit quod Pelagio impeccantiam, eo sensu quo ab Origene dictam putamus, assignaverit; sed ipse Origeni Pelagianam impeccantiam falso tribuit et per vitiosum circulum concludit, quum sic loquitur[1] : « Altero quod etiam Origenis sententiam esse dicit, ad » tantam fortitudinem hominem pervenire, ut ultra peccare » non possit. Ubi, nisi illud *peccare non possit* ita acci- » piamus, ut tantum significet fieri posse, ut homo perfectus » non peccet amplius, dogma traditur capitaliter ipsis cardi- » nibus Origenicæ doctrinæ contrarium. Quid enim apud » ipsum certius, stabilius, inculcatius, quam inamissibilem » esse illam voluntatis indifferentiam qua semper in bonum » ac malum flectere arbitrium potest? Usque adeo ut ex hoc » solo principio perpetuos illos salvandorum damnando- » rumque circuitus, etiam in dæmonibus ac sanctis angelis » fabricaverit, ut ex libro primo περὶ ἀρχῶν perspicue patet[2]. » Pugnat certe indifferentia voluntatis cum notione ita sese

[1] Jans.; *August.*; t. I. lib. IV, c. IX.
[2] Ibid., *ibid.*, l. c.

habentis animi ut peccare non possit, eamque ideo a Pelagio optima fide negatam crediderim; sed inde inferendum sentio, non ideo *certum stabilitumque* esse inamissibilem illam indifferentiam animo accepisse scriptorem, qui eam, quam dico impeccantiam, his verbis tam aperte declarat. « Idcirco » et fide et spe major charitas dicitur, quia sola erit *per* » *quam delinqui ultra non poterit*.................... » ...... si hæc omnia quæ enumeravit apostolus, sepa- » rare nos non possunt a charitate Dei, quum in illud quis » culmen perfectionis ascenderit, *multo magis libertas ar-* » *bitrii nos ab ejus charitate separare non poterit* [1]. »

3. Quo in loco illud animadvertas, in eo ipso charitatis omnipotenti tractu manere adhuc libertatem arbitrii, quæ virtus esse dicitur, quam tamen sibi sociat et vindicat charitas, et quæ ab ipsa tenetur ne rursum corruat in peccatum.

Eorum quæ sequuntur idem fere est sensus : « Ego autem » puto quod hi qui jam perfecti sunt, et domino conjuncti, » unus spiritus cum ipso effecti sunt, nec ipsi in lege sunt, » sed magis ipsi sunt lex [2]. »

Cæterum in hoc summo virtutis gradu ubi peccato jam non locus est, adeo non inesse libertatem negat auctor, ut sententiam Neoplatonicæ philosophiæ magistrorum et Augustinionorum qui, in eo gradu maximam plenissimamque

[1] Orig. ep. ed. c., t. IV, p. 568.
[2] Ibid., *ibid.*, p. 510.

inesse libertatem asserunt, apud eum sonantia verba nonnulla perlegere sit [1].

Fatendum quidem est Nostrum videri e contrario interdum mutabilitatem ad malum in liberi arbitrii conditionem vertere [1]: quæ tamen penitus introspicienti inter se pugnantia non videbuntur; verum autem, si ab infido interprete non corrupta sunt, indicio mihi essent, duplicem liberi in creatura mutabili arbitrii apud auctorem fuisse comprehensionem. Quam si diviseris hinc ex principio rationabili (ἐκ τοῦ λογιστικοῦ) confectam invenias, per quod quidquid vere bonum discernentes appetentesque, irrationabiles appetitus vincere possumus; illinc, ex ejusdem principii vitio possibilique defectu, ex quo fit, ut eisdem appetitibus duci possimus. Quod principium si ad summum gradum provehatur, in nihilum redacta irrationali concupiscentia,

[1] Hæc exempli causa: «....sicut scientia, quæ nunc datur sanctis, per speculum datur et in ænigmate, et prophetia, et cætera dona spiritus sancti: ita et libertas quæ, nunc sanctis præstatur, nondum *plena libertas* est, sed velut per speculum, et in ænigmate: et ideo sancti servos se esse dicunt, ad comparationem illius libertatis, quæ facie ad faciem tribuitur. Qui enim potest in carne quis positus adipisci integram libertatem, ut in nullo jam serviat carni?» — Ibid., t. IV, p. 462.

[2] In his locis, verbi gratia, «hæc anima quæ Christi est, ita elegit diligere justitiam, ut pro immensitate dilectionis inconvertibiliter ei atque inseparabiliter inhæreret, ita ut propositi firmitas, et affectus immensitas, et dilectionis inextinguibilis calor, omnem sensum conversionis atque immutationis abscinderet, et quod *in arbitrio erat positum*, *longi usus affectu jam versum sit in naturam:* ita et fuisse quidem in Christo humana et rationabilis anima credenda est, et nullum sensum vel possibilitatem eam putandum est habuisse peccati.» — Ibid. t. I, p. 91.

nulla jam est homini cum semetipso pugna, nulla imo ancipitis animi deliberatio, nec ferme quidem electio; evanescit cum ipso arbitrio libertas arbitrii, sed tunc *plena libertas* est, quæ liberum arbitrium obvolvit obvolutumque obruit. Peccato contra non obruetur liberum arbitrium, nisi deficiente libertate, quum scilicet ad id quod non voluerit, ut ait Plato, trahitur et rapitur animus, ita ut « extrema in peccato servitus habeatur. » Cæterum de ista quæ apud Origenem plurimum pollet rationabilis creaturæ mutabilitate infra disseremus.

4. Sin autem ad ea veniamus, quæ magis ad rem de qua disputamus attinent; et si quæratur quid de prænotione Dei, de providentia, de gratia, et cæteris hujusmodi creaturæ voluntatem ita attingentibus, ut maximæ molis fuerit, sive philosophis, sive theologis, cum hujusce voluntatis libertate ea compensare aut conciliare, quid senserit iste Pelagii præcursor habitus, primum quæstionem prænotionis cum libero arbitrio conciliandæ difficillimam iis verbis illum solvisse patebit ut inde jam concludi possit quantum a Pelagiana abhorreat indifferentis voluntatis notione.

Quæ quidem quæstio perardua sane est, si voluntas sit indifferens, minimeque magis inclinanti causæ subjecta: actus enim istius modi voluntatis omnino incerti reputandi sunt; ita ut ingenio et doctrina præstantissimi viri qui, voluntatis indifferentiam acceperunt, nequiverint hanc difficultatem vincere, nisi summa adhibita arte summoque labore; verbi gratia, abstrahendo a tempore omnibusque

notionis humanæ modis, scilicet fingendo divinam *præscientiam* non futuri *præscientiam*, sed meram quamdam præsentis *scientiam* esse. Atque illud notandum primum est eam quæstionem vanam et inanem ab auctore nostro judicari [1]. Et facillime quidem quæstionem solvit, ut a Leibnitzio solvitur, et ab omnibus qui isti philosopho assentiunt. Si enim in hoc uno consistit hominis libertas ut ille suorum actuum et consiliorum sit causa; ad conciliandam cum libertate præscientiam, nonne animadvertere satis est præscientiam ac scientiam minime rei cognitæ esse causas? Hae responsio valde arridet Origeni qui illam usurpat et libentissime explicat quotiescumque istud argumentum repellere conatur : Καὶ εἰ χρὴ λέγειν, inquit, οὐ τὴν πρόγνωσιν αἰτίαν γενομένων (οὐ γὰρ ἐφάπτεται τοῦ προεγνωσμένου ἁμαρτησόμενον ὁ Θεὸς, ὅταν ἁμαρτάνῃ) ἀλλὰ παραδοξότερον μὲν, ἀληθὲς δὲ ἐροῦμεν, τὸ ἐσόμενον αἴτιον τοῦ τοιάνδε εἶναι περὶ αὐτοῦ πρόγνωσιν [2]. Hæc sunt ejusdem verba : Οὐ νομιστέον, τοίνυν αἰτίαν τῶν ἐσομένων τὴν πρόγνωσιν τοῦ Θεοῦ εἶναι· ἀλλ' ἐπεὶ ἔμελλε γίνεσθαι κατ' ἰδίας ὁρμὰς τοῦ ποιοῦντος διὰ τοῦτο προέγνω [3]. — Quæ

[1] Vid. ibid., t. IV, p. 405.

[2] « Atque, ut libere, quod res est, eloquamur non Dei modo prænotionem rerum causam non esse (nec enim quem peccaturum Deus esse prævidit, eum, dum reipsa peccat, ad facinus quasi manu deducit). Sed etiam dicam quod a communi sensu remotius quidem, sed verum tamen est, id ipsum quod futurum sit, ejus modi prænotionis causam esse. » Ibid., t. II, p. 10.

[3] Ibid., t. IV, p. 462. — « Non est igitur existimanda futurorum causa esse prænotio Dei; sed quia futurum erat secundum proprios impetus et affectus facientis, propterea prænovit. » Ibid. *ibid*,, p. 464.

aptissime jam sane afferuntur, si de spontanea deliberataque, ut verbis utar Leibnitzii; non autem si de indifferente et non inclinata magis voluntate agatur. Hanc enim sic tueri conanti facile respondebis, cognitæ rei sane causam non esse prænotionem aut cujuscumque modi cognitionem: quum autem nisi jam determinatæ et definitæ rei præscientia non possit esse ; quod præscitur, ideo necesse est ut antea definitum determinatumque sit, et in nostra potestate non versetur impedire quominus sit futurum. Quod quidem quum unam tollat libertatis definitionem, ne alteram attingit quidem. Ex hoc enim quod ab omni ævo præscierit Deus fore ut ego hoc aut illud velim, non certe fiet ut istud velle penes me non sit in præsenti; neque contrarium velle, si magis mihi placuisset et ita fore prævidisset Deus.

Sic instantibus « si cuncta prævisa et antea definita fuerunt igitur necessario fiunt, nec aliter evenire possunt; fieri igitur non poterat ut aliud iniretur quam initum consilium.» His verbis respondit Origenes : *Φήσομεν ὅτι ἀδύνατον μὲν μὴ γενέσθαι, οὐχὶ δὲ εἰ ἀδύνατον μὴ γενέσθαι, ἀνάγκη μὴ γενέσθαι, ἢ γενέσθαι · καὶ γίνεται οὐ παντὸς ἐξ ἀνάγκης, ἀλλὰ δυνατοῦ ὄντος καὶ τοῦ αὐτὰ μὴ γενέσθαι* [1].

Quod quidem responsum nonne omnino Leibnitzianum argumentum est, aut potius commune omnium qui, ut Jan-

[1] Ibid., t. IV, p. 463. — « Respondebimus fieri non posse ut non eveniant; sed non ideo quia fieri non potest ut non eveniant, necesse est non evenire vel evenire. Fiunt enim haudquaquam ex necessitate, sed fieri quoque potest ut non fiant. » — Ibid. *ibid.*, p. 464.

senius et Augustinus, libertatem definiunt voluntatem et potestatem quam quisque habet ex sua persuasione agendi? Hæc autem necessitas quam ab *fieri non posse* (τῷ ἀδύνατον εἶναι μὴ γενέσθαι) secernit Origenes, nonne necessitas est sive metaphysica, ut Leibnitzius nominat, earum rerum quas non esse rationi repugnaret, sive physica, earum scilicet quæ sine voluntate aut contra voluntatem naturæ legibus fiunt, quam duplicem necessitatem a necessitate quam moralem vocat sedulo secernit idem philosophus, videlicet a necessitate voluntatis, quam non habere quempiam Noster ἀδύνατον dicat.

Itidem de usurpatissimo sophismate cui nomen inditur ἀργὸς λόγος dicentium « si omnia prævisa et antea definita sunt, quorsum agas et coneris » illud auctoris *Theodiceæ* responsum « rem sane eventuram, sed eventuram tantum per voluntatem et voluntatis effectus » rem ipsam, remotis verbis, cuicumque perpendenti videbitur minime differre ab eo argumento quod diversis iterat in locis noster dicens : Οὕτως εἰ τὸ ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου ὁδῷ τῇ ἀπὸ ἰατρικῆς γίνεται, ἀναγκαίως παραλαμβάνεται ὁ ἰατρός· καὶ ψεῦδος τὸ Μάτην εἰσάγεις τὸν ἰατρόν[2].

Quid autem disputatione opus est, quum propriis verbis dicat Origenes non nisi per seriem causarum e quibus effec-

[1] *Théodicée*, § 71.

[2] « Sic, si medicina ad convalescendum ex morbo conducit, medicus adhibeatur necesse est, adeoque falsum est istud : frustra adhibes medicum. » — Orig. op. ed. c., t. I, p. 407.

tus pendeat hunc a deo prænosci ? in eodem de Genesi commentario ubi liberum arbitrium tanta vi tuetur, tum adversus astrologorum fatum, tum adversus argumenta ex prænotione deducta, hisce verbis sententiam prodit :

Ἐπιπορεύεται τῷ νῷ ἕκαστον τῶν ἐσομένων ὁρῶν ὅτι ἐπεὶ γέγονε τόδε ἕπεται· ἐὰν γένηται τόδε τὸ ἑπόμενον, τόδε ἀκολουθεῖ. Οὗ ὑποστάντος, τόδε ἔσται· καὶ οὕτω μέχρι τέλους τῶν πραγμάτων ἐπιπορευθεὶς οἶδεν ἃ ἔσται [1].

His similia plurimis in locis invenire est, verbi gratia :

Προατενίσας οὖν ὁ θεὸς τῷ εἱρμῷ τῶν ἐσομένων, καὶ κατανοήσας ῥοπὴν τοῦ ἐφ' ἡμῖν τῶν δέ τινων ἐπὶ εὐσέβειαν, καὶ ὁρμὴν ἐπὶ ταύτην μετὰ τὴν ῥοπὴν, καὶ ὡς ὅλοι ἑαυτοὺς ἐπιδώσουσι [2]...... — *Οὕτω νοητέον τὸν θεὸν προεωρακότα, ὁποῖος ἔσται ἕκαστος, καὶ τὰς αἰτίας τοῦ τοιοῦτον αὐτὸν ἔσεσθαι καθορᾷν, καὶ ὅτι ἁμαρτήσεται τόδε, ἢ κατορθώσει τόδε* [3].

5. Voluntatis humanæ actus a Deo non modo præsciri et præordinari sed etiam effici et ex divina gratia plene

[1] « Deus, quod nulla res causam non habeat aliquam, dum sub ipsum orbis moliendi principium, futura sigillatim omnia mente percurrit, videt illico si factum hoc erit, illud proinde secuturum ; quod ubi extiterit, tertium ex eo quiddam aptum fore ; hoc item si positum erit, et consequens illud futurum : itaque ad rerum finem omnium cognitione perducta, quidquid futurum est intelligit. » — Ibid., t. II, p. 110.

[2] « Deus igitur futurorum seriem prospexit et libertatis nostræ propensionem et aliquorum ad pietatem impetum post hanc propensionem, quodque a se totis virtuti daturi sint.....» — Ibid., t. IV, p. 464.

[3] « Ita plane sentiendum, deo, quod cujusmodi quisque sit futurus providerit, causas etiam quamobrem, ejus modi sit futurus, quæque ab eo vel improbe, vel præclare gerenda sint esse perspecta. » — Ibid., t. II, p. 10.

pendere foririque, scilicet ex præsenti bonos, ex deficiente malos sensisse Origenem; et in hac tota de gratia quæstione, quid et quale sit illud supernum donum, quid polleat et quonam modo cum meritis hominum sese habeat; utrum per gratiam mereamur, an contra gratia merenti soli tribuatur; alienissimam a Pelagianismo (quoad saltem philosophicam partem quam a theologica secernendam esse illico dicturi sumus) Platonici nostri scriptoris sententiam fuisse probatu haud difficile arbitror. Verum autem quum magnopere ambigua implicataque sit ea quæstio, ut ab omni errore caveatur et veritas plane explorata fieri possit, ejus ambages anfractusque dignoscere et multa, quæ sæpius ab his qui de ea disputant miscentur distinguere primum curæ sit.

In primis illud animadvertendum: aliam haberi de ea disputationem in theologia, in philosophia aliam; imo et ita diversam, ut in una earum disciplinarum inter se dissentientes scriptores, in altera plene consentire eosdem videre sit. Apud Theologos enim cum natura hominis originali peccato corrupta, sub nomine gratiæ conferuntur a Deo data christianæ fidei veris cultoribus auxilia, quibus hujus peccati vincula solvi possint, quum alii contendant nihil homini deesse ex libero arbitrio ut honestus sit, dummodo honestum ab inhonesto secernat, et ideo hoc auxilium divinum *quod doctrinæ gratia* vocatur, unum esse quo illi opus sit; alii contra asseverent ex *gratia delectationis*, ut dicitur, id est, ex caritate cuique a Deo electorum cœlitus infusa, quæ sola pravas corruptæ naturæ libidines valeat

superare, omnem oriri bonam voluntatem. Hæc fuit sancti Augustini ejusque discipulorum sententia; illa autem non solum, Pelagianorum fuit qui voluntatem animi affectibus liberam efficiunt, sed etiam Socraticorum forsan futura fuisset, qui innatum cuique homini, boni et honesti fingebant amorem præcipuum, adeo constantem et tam alte in mente infixum, ut nisi suimet aut suarum cupiditatum non plane conscio, mala voluntas inesse numquam possit : contra, de philosophica communive quæstionis parte, a Pelagianis, et cæteris indifferentem libertatem accipientibus, isti Græci dissentientes cum Augustini discipulis omnino consentiunt. In hac enim agitur de universis viribus a Deo inditis quæcumque sint, nullo habito discrimine, utrum illæ in natura ipsa an extra naturam sufficiantur.

Ad priorem quæstionis partem, scilicet ad theologicam referuntur hæc verba Jansenii Originem arguentis « sed ita » vires humanas prædicat, ut quod Pelagianis sæpius Augus- » tinus exprobrat, solo gratiæ vocabulo, frangat invidiam[1] ;» ad posteriorem vero respicerent verba respondentis, gratiam esse eas ipsas vires, quum a creatore inditæ sint; et revera, de his viribus una et de subsequentibus adjumentis quæ ad eas accedant, de omnibus in universum sive incitamentis sive cujuslibet generis facultatibus et artibus quæ hominem ad bonum adducant, de tota denique summi rerum conditoris in creaturam rationabilem actione, sub nomine

[1] Jans.; *August.*, t. I, p. 150.

gratiæ agi. Hæc est ipsa tota dei actio, de qua, verbi causa, quæ et qualis sit; quantum et quam in partem pateat; qualis ejus effectus; illene affectus solum possibilis an necessarius; quonam modo cum libero arbitrio conciliari aut compensari possit; quæ sit ratio ejus sub respectu ad meritum, inter eos potissimum disputatur, qui, ut Pelagius, absolutam, et eos qui, sive platonicorum, sive Augustini more, certis causis submissam libertatem instituunt.

De theologica quæstione quid senserit Origines Theologis quorum vices usurpare nolim, inquirendum relinquere mihi liceat.

Philosophicam autem ad partem quod attinet, quum ab his aversissimam quæ illi tribuuntur opinionibus, tum etiam ab ea qua niti dictitatur definitioni libertatis repugnantem Nostri doctrinam, solummodo monstrare nobis in animo est.

Huic definitioni nihil fingi potest quod magis adversetur, nihil quod a Pelagii tota doctrina magis dissonum, nihil quod apud Pelagii adversarios ejusdem discipulis magis reprehenderint quod proferant, non solum voluntatem universe sed etiam voluntatis ipsos actus ita a Deo pendere regique, ut quidquid in his bonum sit ab ipso factum dici debeat, et ideo omnis virtus ex gratia sola oriatur, aut potius gratia ipsa sit, et donum Dei, donum scilicet gratuitum et gratia simul necessaria et necessans.

Hanc quidem tenuisse Origenem sententiam affirmare non dubitamus. Ut vero omittam, et ea sexcenties ab eo dicta de benigna providentia quæ per certas itinerum vias, summa

arte, ad certum finem ad salutem scilicet, singulas creaturas rationabiles deducit et quod inde sequitur « efficacia esse ad convertendos peccatores remedia Dei»[1] et « nihil Deo in animis insanabile[2]» ; quot locos apud auctorem nostrum invenias in quibus humanæ virtutes ad Deum ut ad ipsarum causam ab illo referuntur. Hæc exempli causa verba Pauli Apostoli « qui abundantiam gratiæ et donum justitiæ accipient » quasi sua admittit nihil reticens et etiam interpretatur ad suum de universa salute placitum accommodans[3]. In eodem de Pauli epistola commentario hoc etiam legere est: « quamvis sermo hic dupliciter possit intelligi, id est, quod » cum illo nobis omnia donabit. » nam et hoc potest videri » quod si habeamus in nobis Christum secundum hoc quod » Verbum, et sapientia, et veritas, et justitia, et pax est, et » cætera omnia quæ de eo scripta sunt, cum hac *plenitudine* » *virtutum nobis omnia donabuntur*[4]. »

Quæ sequuntur quibusdam dubia videri possunt: « Et » ideo, in his, inquit, omnibus, superamus non nostra » virtute, sed per eum qui dilexit nos. Dum enim in illius » amore pendemus, sensum doloris non recipimus. Illius » enim caritas qua nos dilexit, et nostrum ad se rapuit affec- » tum, cruciatum corporis, et dolorem non sentire nos facit[5]»

[1] Ibid., t. I, p. 497.
[2] Ibid., *ibid.*, p. 154.
[3] Ibid., t. IV, p. 554.
[4] Ibid., *ibid.*, p. 606.
[5] Ibid., *ibid.*, p. 608.

Sed hæc sane haud incerta : « sunt enim et nonnulli genti-
» lium compositis moribus et honeste institutis : qui tamen,
» hoc ipsum quod habent non ad Deum *referunt nec ab ipso*
» *sibi datam gratiam confitentur*, sed aut propriæ industriæ
» adscribunt aut super magistris et institutoribus gloriantur.
» Nobis autem ostendit apostolus omne quod bonum *est ex Deo*
» *esse* et per *spiritum sanctum dari* [1]» Idem commentarium
legenti etiam occurrit : « sciendum sane est, *quod omne*
» *quod habent homines gratia est*; *nihil enim ex debito*
» habuit, « quis enim prior dedit illi et retribuetur ei » *gratia*
» *ergo* est quidquid *habet is qui non fuit*, *et est*, accipiens
» ab eo qui semper fuit, et est, et erit in æternum [2]. » « Om-
» nia quæ apud hominem sunt, gratia sunt et justitia gratia [3];
» qui per fidem salvantur per gratiam salvantur. » « Sicut....
» evidenter Dei munus est quod sumus, et gratia conditoris
» qui esse nos voluit : ita et si hæreditatem promissionum
» Dei capiamus, divinæ gratiæ est [4]........ »

Denique in libello De *oratione* postquam longo sermone monstrare conatus est hominem non posse ab omni tentatione immunem esse, sic desinit « quare oremus a tenta-
» tione liberari non ita, ut non tentemur (fieri enim id non
» potest præsertim quum super terram sumus) sed *ne tentati*
» *succumbamus* [5]. » quomodo dici possit manifestius non

[1] Ibid., tom. IV, 654,
[2] Tom. IV, p. 686.
[3] Ibid., tom. IV, p. 286.
[4] Ibid., *Ibid.*, p. 528.
[5] Ibid., tom. I, p. 259.

omnino ex nobis, sed ex Deo esse ut non succumbamus.

Inde sequitur, quum præsente causa necesse sit effectum fieri (dummodo de tota causa agatur), sublata vero abesse, ex sufficiente gratia bonam, ex deficiente vero malam non posse non sequi voluntatem, hominemque non solum sine gratia nil posse, sed etiam id non penes eum esse ut gratiæ resistat, nisi imperfectam gratiam intelligas; et ideo omnibus hominibus non dari eamdem sufficientem gratiam; sed, ex diversis gratiis, diversos eorum mores oriri. Quam sententiam quum multis aliis, tum sequentibus verbis declarat Origenes. « et *pro diversitate gratiæ complebitur* » *illud quod* scriptum est : multi sunt vocati, pauci etiam » electi; sciendum tamen est quod possibile est aliquem » esse creatum, apostolum aut vocatum prophetam aut » vocatum magistrum si neglexerit vocationis suæ gratiam » decidere ex ea [1]. »

6. His ita constitutis, parum certe sibi constans fuisset auctor, si, veluti virtutis mercedem, gratiam homini a Deo tribui judicasset. Si enim omnia gratia sunt, ut ait ipse, « gratuita idcirco omnis gratia est « et quidquid Deus homini præstat, gratuito ille largitur. Si cuique nihil inest quod a Deo non receperit, nullaque bona voluntas est quam Deus ipse non indiderit, quî posset homini quidquam propter hanc bonam voluntatem a Deo deberi? Hancce revera admittentia sententiam et illam repellentia non pauca

1 Ibid. tom. IV, p. 462.

ejus in scriptis invenias loca, quorum sequentia proferam. « Nil esse a Deo homini debitum » et ista etiam « sicut » enim (ut exempli causa dixerim) hoc quod substitimus » non potest intelligi quasi ex operis nostri mercede sub- » sistamus, sed evidenter Dei munus est quod sumus et » gratia conditoris qui esse nos voluit : ita et si *heredita-* » *tem promissionum Dei capiamus divinæ gratiæ est, non* » *alicujus debiti aut operis merces* [1]..... Quod autem dicit » (Apostolus) « ei qui operatur, merces non imputatur » » secundam gratiam, sed secundum meritum : credenti » » autem in eum qui justificet impium, reputatur fides ad » » justitiam. » Videtur ostendere quasi in fide quidem gra- » tia sit justificantis, in opere vero justitia retribuentis. » Sed ego quum considero sermonis eminentiam qua dicit » operanti secundum debitum reddi, vix mihi suadeo »*quod possit ullum opus esse, quod ex debito remune-* »*rationem Dei deposcat,* quum etiam hoc ipsum quod » agere aliquid possumus [2] vel cogitare vel proloqui, ipsius » dono et largitione faciamus. Quid ergo est debitum illius » cujus erga nos fœnus præcessit? Et ideo videndum est ne » forte quod dixit « qui autem ei operatur merces secun- » » dum meritum reputabitur, » sinistri magis intelligendum

[1] Ibid., t. IV, p. 528.

[2] E multis supra inducimus sæpe in infida Ruffini interpretatione nomen actus pro nomine *posse* usurpari. Illud quod hic scribitur *possumus* neque cum tota enunciatione congruere videtur; neque imprimis cum eo quod post sequitur *faciamus*.

» sit. Debita etenim peccata dici in divinis voluminibus fre-
» quenter invenies [1]. » Hæc Pauli Apostoli « gratis gratiam
» dari » quasi sua accipit et sic commentatur : « Idcirco
» justitia Dei per fidem Jesu-Christi ad omnes perveniens
» qui credunt, sive Judæi sint, sive Græci, purgatos eos
» a prioribus sceleribus justificat et causam facit gloriæ
» Dei : et hoc *non ex meritis eorum*, *nec pro operibus*
» facit, sed gratis gloriam credentibus præstat [2]. » Quæ forsan suspecta habebis quasi sub auctoritate dicta Apostoli: sed ea ex eodem commentario quæ proxime supra scripsimus [3] : « Quod autem dicit ei qui operatur.... vix mihi per-
» suadeo quod possit ullum opus esse quod ex debito remu-
» nerationem Dei deposcat » certe ex semetipso protulit. Sin autem nihil est homini a Deo debitum, quî possibile illi non dari gratis quodcumque donetur ?

Ex omnibus Origenis doctrinæ partibus, nulla tamen forsan sæpius verisimiliusque in causa fuit cur Pelagio viam patefecisse argueretur quam ea quæ spectat ad Dei agendi rationem, illiusque gratiarum largitionem, prout quisque meruerit. Nihil reipsa sæpius asseverat quam istum ad meritum divinæ gratiæ respectum in quo Dei providentiæ fere summam ponere videtur; nulla enim res est cui magis tribuat in universa rerum compagine; nihil denique quod in illius doctrina longius latiusque pateat.

[1] Ibid., tom. IV, p. 522.
[2] Ibid., *Ibid.*, p. 513.
[3] Supra, p. 35.

Num vero arbitrabimur illum, tum in his, tum in illis, a semetipso dissensisse? Optimos scriptores sane reperias sibimetipsis interdum dissentientes, quum scilicet, cujusdam rei notionem obliti, alteri notioni cum hac pugnanti inconsciam mentem fortuito tradunt. Sed eum omnino delirare certe existimes qui, de ipso rei tractatæ cardine, toties et tam manifeste secum pugnantia scripsisset. Non is fuit sane Noster. Quid enim voluerit et intellexerit, quonam modo non solum conciliarit, sed etiam stricte connexuerit ea quæ pugnantia parum attente perpendenti videri possunt, sequentibus verbis manifestissime declarat: «Unde » mihi videtur quod et meritis conquiratur hoc donum, (spi- » ritus sancti) et vitæ innocentia conservetur, et unicuique » secundum profectum fidei augeatur, et gratiæ; et quanto » purior anima redditur, tanto largior ei Spiritus infundatur [1].» Aut his « Ita et qui *per gratiam fidei* unum aliquod do- » num *meruerit* [2].»

Si per gratiam meretur, meritum ergo ipsum gratia est; nec secum ipse pugnet, qui dicat simul et per meritum et per gratiam dari quidquid a Deo veniat, sive ab ipso præstetur felicitas promissa virtuti, sive iteratum auxilium quo virtus sibi ipsa constet, aut ad altiorem perfectionis gradum sese promoveat, nihilque aliud erit lex merendi gratias nisi gratiæ a gratia consecutio et, ut ait Leibnitzius, Dei decreto-

[1] Ibid., t. IV, p. 591.
[2] Ibid., *Ibid.*

rum ordo, quem ipse Deus ab omni ævo instituit. Qui quidem ordo quam congruens cum sapientia et justitia et bonitate Dei, quam admirabilis, in tempore monstrare conabimur.

7. Cum his quæ a Nostro de bona voluntate expressa vides, optime congruunt ea quæ protulit de mala voluntate ejusque de causis, de effectibus et pœnis quæ illam sequuntur. Sicuti prioris proximas causas bonos animi affectus, ita et alterius malos arguit, et imprimis tædium et satietatem, quam frequentissime increpat. Quemadmodum autem Deus, natura bonum et Ens, cujuscumque bonæ voluntatis suprema causa est, ita malæ, quod apud metaphysicos vocatur nihilum et græce dicitur τὸ μὴ ὄν, cujus particeps non esse non potest, ut ait Augustinus, ex nihilo facta creatura. Permulta enim hujusmodi verba apud auctorem legere est : « Verum quoniam rationabiles istæ crea-» turæ, quas in initio factas supra diximus, factæ sunt » quum ante non essent, hoc ipso quia non erant, et esse » cœperunt, necessario *convertibiles* et *mutabiles* substi-» terunt.... sed desidia et laboris tædium in servando bono, » et aversio ac negligentia meliorum, initium dedit rece-» dendi a bono [1]. Futurum erat, ut aliqui ex his qui creati » sunt, pro eo quod non naturaliter, id est, substantialiter » inesset eis bonum, sed accidens, non volentes inconver-» tibiles et incommutabiles semper permanere, ac semper

[1] Ibid, t. I, p. 97.

» in eisdem bonis æqua ac moderata libratione durare, sed » conversi atque mutati de statu suo deciderent [1]. » Οὐ γὰρ οἷόντ' ἦν ὁμοίως εἶναι τῷ οὐσιωδῶς ἀγαθῷ ἀγαθὸν τὸ κατὰ συμβεβηκὸς, καὶ ἐξ ἐπιγεννήματος ἀγαθόν [2]. Nulla apud auctorem nostrum magis certa et stabilis, nulla in tota ejus doctrina magis pollens, nulla fusius dicta quam ea de mutabilitate creaturæ opinio. Cum autem ex altera parte indifferentiam voluntatis non male simulet ea mutabilitas, inde effectum est ut non parvam præbuerit causam falsi quod repellere conamur judicii. Ex ea enim animi mutabili natura oritur æquabilis boni malique potentia, si omnem cujuscumque actus peculiarem definitamque causam abstrahas, itemque anceps nullique certæ et constanti subjecta legi, ut ita dicam, alea, cujus variis innumerisque casibus variæ efficiuntur aliæ ab aliis rerum humanarum vicissitudines; unde judicat auctor omnino « inter se indissimiles mundos non posse evenire; » quoniam, inquit « arbitri libertate aguntur animæ, » et vel profectus suos, vel decessus, pro voluntatis suæ » sustinent potestate. Non enim cursu aliquo in eosdem se » circulos post multa sæcula revolvente, aguntur animæ, » ut hoc aut illud vel agant vel cupiant, sed quocumque pro- » prii ingenii libertas intenderit, illo gestorum suorum dirigunt » cursum. Tale enim est quod ab istis dicitur, ut si quis velit » asserere, quod frumenti medimnum si profundatur in ter-

[1] Ibid, t. I, p. 54

[2] Nec sane fieri poterat ut bonum per accidens et communicatum, illi esset simile quod natura bonum est. — Ibid., t. I, p. 666.

» ram, potest fieri ut iidem et pœnitus indiscreti secundo » accidant casu granorum, ita ut unumquodque granum » juxta id profusum jaceat secundo, quo primo aliquando » dejectum est, et eodem ordine, eisdemque dispersum sit » signis quibus fuerat primo diffusum : quod utique innume- » rabilibus medimni granis impossibile est prorsus accidere, » etiamsi per immensa sæcula indesinenter ac jugiter effun- » dantur. Ita ergo impossibile mihi videtur eodem ordine, » eisdemque modis nascentium et morientium et agentium » quid secundo mundum posse reparari sed immutationibus » non minimis diversos posse mundos existere, ita ut pro » manifestis quibusque causis melior status sit alterius » mundi, et pro aliis inferior, et pro aliis melius quidem » status. Qui autem numerus vel modus hic sit, ego me nes- » cire fateor [1]. » Inde pulcherrima ei videtur hæc sententia : « nequitiam non esse definitam ἀόριστον εἶναι τὴν κακίαν, et mala » suapta natura esse infinita » τῷ ἰδίῳ λόγῳ ἄπειρα ; et a sentientibus abhorret « nec plura esse nec pauciora [2]. » Quantum autem una earum notionum ab altera discrepet facile percipere est. Primum enim huic mutabilitati apud nostrum ecclesiæ doctorem non voluntas nuda et abstracta, ab affectibus animi soluta et semet ipsa sola movens, sed ipsi animi affectus causæ, caritas scilicet bonæ, tædium et satietas malæ voluntatis, primigena materia subjiciuntur. Deinde si in virtute

[1] Ibid., t. I, p. 81

[2] Ibid., *Ibid.*; p. 551.

immutabili indefectaque summa libertas inest, in libertatis essentia certe non continetur mutabilitas, quod necessario foret, si, indifferentiam, per quam libera evadat voluntas, hæc mutabilitas significaret.

Istud præterea animadvertendum est : hanc mutabilitatem apud nostrum auctorem identidem dictitari fluere ex defectu et imbecillitate ingenita creaturæ quæ «quum non esset, facta fuit ; et ideo neque bonum neque ens per essentiam habere potest » : contra vero libertatis indifferentia ipsam tuentibus adeo excellens videtur, ut, quum ab iis Deo ipsi tribuatur, tum per eam refellantur ea quæ ex malis ipsius mundi contra providentiam bonitatemque Dei objiciuntur, si probari possit horum malorum licentiam conditionem fuisse sine qua hæc præcellens natura existere non potuisset.

Ex illa instabilitate efficitur apud Originem sane potentia quædam boni et mali : quid vero ipsam potentiam ad actum deducit? Num ipsa per se potentia, quæ, tunc tantum, una et eadem cum absoluta libertate videretur? Minime id ait Origines ; at contra jam animadvertimus potentiam, aut, si dicere licet, possibilitatem illam ex ejus sententia conditionem esse actionis divinæ in hominem, quæ proinde eamdem potentiam in actum vertat [1].

[1] Quæ sit ea æqualis ad bonum malumve omnium hominum habilitas et natura una satis aperte ipse declarat his verbis quibus illum voluntatem indifferentem nullo modo significare voluisse certe judices. « Nescio, » inquit, quomodo hi qui de schola Valentini et Basilidis veniunt, hæc ita » a Paulo dicta non audientes, putant esse naturam animarum quæ semper » salva sit, et nunquam pereat, et aliam quæ semper pereat, et nunquam

Quod autem ad eam spectat, quam supra diximus rerum incertam vicissitudinem, quamvis etiam indifferentis voluntatis opinionem sequatur, non tamen sicut apud eos qui illam opinionem profitentur, ita apud Origenem non prædefiniti sunt eventus mundi, quum ille ad certum finem, nimirum ad salutem, serius ociusve, plus minusve recte, certis impellentibus causis, quamque rationabilem creaturam progredi arbitretur.

8. Ab istis nequaquam discrepant ea quæ Noster protulit de natura nostrarum virium, quarum ope bonum, quarum defectu malum efficimus, id est, de proximis bonæ malæque voluntatis causis, aut, ut verbo utar theologorum, ad sensum maxime generalem redacto, de gratiæ natura et generibus. Quum enim duplex sit consilii capiendi causarum genus, quorum unum in honesto est positum, quod quidem honestum, si mente perceptum sit, maxima cum

» salvetur....... Nihilominus autem etiam nobis qui unam esse naturam » omnium hominium, imo omnium rationabilium dicimus, et ad salutem » æqualiter habilem et ad perditionem si negligat, occurri potest et dici : » Quomodo ergo Paulus olivam bonam et oleastrum ponit, quum utique » si unam sciret esse naturam omnium, diversi generis arborum non » introduxisset exemplum ? Dicendum ergo ad hæc : Sicut omnis materia » corporalis, quum sine dubio unius naturæ sit, per accidentes sibi qualitates diversas species profert vel corporum, vel arborum, vel herbarum; » ita et cum omnium rationabilium una natura sit, arbitrii proprii æqualiter libertate donata, uniuscujusque proprii motus ex arbitrii potestate » prolati, vel ad virtutem vel ad libidinem subjectam sibi animam educentes, vel in bonæ eam, vel in malæ arboris speciem formant : ut aut » bona arbor dicatur, si per arbitrii potestatem elegerit bona; aut mala » dicatur si elegerit mala...... — Ibid., t. IV, p. 637.

auctoritate præcipit quid sit faciendum, alterum spectans ad voluptatem et cujusque modi jucunditatis illecebras; exinde inter eos qui erectiores animo solertioresque sunt, quam ut utrumque genus non agnoscant, oriuntur multæ quæstiones, quarum præcipua ea est quæ de excellentiore genere habetur, scilicet, utrum sola ex se ipsa absque ulla delectatione honesti cognitio hominem ad agendum impellere interdum valeat; an contra, in ipsis honesti illecebris et quasi amoribus quos excitat suî, sita sit cujusque boni honestique voluntatis actus ratio. Quæ absoluta sejunctio dissimillimorum inter se generum in promptu est quam parum congruat cum eorum doctrina, qui, omnes voluntatis actus ex antecedente causa magis inclinante fieri sentiunt. Quî enim conferre possis cum voluptatis illecebris merum de honesto judicium, quod his potentius aut infirmius habeatur? Sed eam sejunctionem quemcumque auctorem admisisse falso argueres ex hoc ipso quod omnem pravam voluntatem ex errore, rectam ex sana mente oriri, proindeque in doctrinis, judiciis et quocumque mentis assensu, omnium humanarum rerum sitam esse summam ille asseveret: ab illa enim sejunctione plane aversum intellectum hæc asseveratio habere potest et habuit reipsa apud Græciæ philosophos qui, omnibus hominibus esse intus in animo eamdem et præcipuam unius boni cupiditatem fingentes, diverse eos agere ex diversis judiciis inferebant, et quamvis iisdem verbis uterentur, sententiam tamen declarabant omnino diversam ab eorum qui Pelagianorum more ab omnibus animi motibus et

affectibus solutam fingunt voluntatem, quam Socratici contra, uni et defectibili affectui subditam, in hoc ipso, censebant. Eadem usurpanti verba Origeni non video cur illam, potius quam hanc opinionem, tribui potuerit. Sed imo ex iis quæ scripsit « de caritate per quam delinqui ultra non possit[1], » de fidei connexione cum bonis animi affectibus, simulque de incredulitatis cum duritie cordis et crassitudine[2], de spiritus sancti gratia ejusque affectibus quorum principium est ipsa caritas, hujuscemodi verbis « alius autem est ex eruditione communi, qui quamvis lautus sit et arte compositus, tamen si non per gratiam vel dicitur, vel scribitur delectare fortassis potest legentem, adducere autem ad profectum non potest auditorem[3], » « qui scit quæ bona sunt et non agit bona per duritiem cordis contemptum habens omnium bonorum credendus est[4]; » ex his imprimis quæ ille tam late fuseque de mutabili animi affectu per naturæ convertibilis inconstantiam in satietatem decidentis, ex his inquam omnibus, colligere fas est illum simul et a Græcis recessisse et ab indifferentiæ libertatis defensoribus, quorum sententiæ præterea repugnant omnia quæ supra citavimus loca, ubi, voluntatis actus ex mentis judicio non solum sequi posse, quod Pelagii præcursoris proprium esset, sed reipsa sequi declarat.

[1] Ibid., t. IV, p. 568.
[2] Ibid., t. I, p. 473, t. IV, p. 478 et 521.
[3] Ibid., t. IV, p. 646.
[4] Ibid., *Ibid.*, p. 478.

9. Omnino aut pene omnino morali necessitati conjungitur alterum non minoris momenti dogma, ab adversariis hujus sæpissime objurgatorie objectum, et a plurimis eorum qui eamdem necessitatem sustinent agnitum, imo a quibusdam defensum prædicatumque. Ex hoc scilicet dogmate nulla est omnino necesaria lex de justa cum peccatis et meritis pœnarum remunerationumque connexione, nulla, ex ipso jure, æterna culparum expiatio ultricisque justitiæ vindicatio; sed in afflictione peccantis ob illud unum lætatur sapienter boni amans, quod ægrotantis animæ quasi sanatio et castigatio salutaris ea sit, cujus stimulis incitata prava voluntas e lutulento vitiorum cœno emergere conetur, et, depravatis absoluta libidinibus, per virtutis viam ad salutem sanique animi beatitudinem perveniat. Hanc fuisse Origenis de pœnis et meritis opinionem, hanc esse rationem, hunc finem pœnarum non solum in terris sed etiam damnatorum imo et dæmonum apud inferos illum professum fuisse, cuilibet vel minime ejus scripta pervolventi minime dubium esse potest[1].

[1] Qua de re, quum innumera alia, tum hæc exempla ponere est. De istis scripturæ « Dies iræ » hæc sunt illius verba : « Quæ utique omnia de hac eadem die dici intelliguntur, in qua tenebræ et mœror et tristitia futura dicuntur, propter eos qui multis *peccatorum confossi vulneribus ignis remediis* indigebunt. » — Ibid., t. IV, p. 479.

In libr. II, περὶ ἀρχῶν t. I, p. 102) multa ejusdem generis. In lib. IV contra Celsum hæc scripta legere est « Nec simiis irascitur aut muribus » (Deus), sed homines legum naturæ transgressores pœnis casigat eisque » per prophetas minatur, atque etiam per eum qui adventu suo servavit » genus hominum, ut territi ad bonam mentem se vertant, contemptores » autem sermonis emendatorii pœnas, ut par est, luant meritas; que-

Quin imo nonnulla loca invenias ubi ille eos reprehendit et vituperat qui aliter sentiunt, quum exempli gratia sic loquitur : « Justitiam vero putarunt affectum esse talem » qui unicuique prout meretur retribuat. Sed et in hoc » rursum definitionis suæ sensum non recte interpretantur. » Putant enim quia quod justum est malis mala faciat, » bonis bona, id est, ut secundum sensum ipsorum justus » malis non videatur bene velle, sed velut odio quodam » ferri adversus eos [1]. Discant ergo perscrutantes scripturas » divinas, quæ sunt singulæ virtutes, et non surripiant in » eo quod dicunt, quia is Deus qui unicuique secundum » meritum retribuit, odio malorum retribuit malis mala, et » non pro eo quod austerioribus curari indigent medicamentis » hi qui deliquerunt, et propterea his adhibet ea quæ emen» dationis prospectu ad præsens videntur sensum doloris » inferre [2].» Hæc sunt fere verba quæ Augustinus in Pelagium profert. Quis possit igitur credere hunc ex iisdem principiis ac Nostrum opiniones deduxisse ?

» madmodum *Deum decet punire noxios in ipsorum utilitatem quibus emen-* » *datione tali opus est.* » (Contra Celsum, lib. IV.)

Vel quum Deus, improbos derelinquens, per iram videtur suo illos reprobo sensui tradere, eorum etiam in utilitatem agere dictitatur ab Adamantio qui hæc in lib. V, op. contra Celsum scripta habuit : « Quoniam » autem isti ab oriente profecte propter peccata sua traditi sunt in sensum » reprobum et passiones ignominiosas et in impuritates juxta suas concu» piscentias, ut saturate peccatum fastidirent (C. Cels., lib. V). Ejusdem » operis C. Cels., in lib. VI, p. 649. inferi ab autore declarantur pro » *purgatoriis* pœnis accipiendi. »

[1] Orig. op. ed. c., t. I, p. 87.

[1] Ibid., *Ibid.*, p. 88.

Inde sequitur quum a multis aliis Platonico doctori exprobata, tum ab ipso Pelagio nedum Pelagiana sit, ea opinio per quam tollitur omnis æternorum suppliciorum doctrina. Quum enim infelix quoddam, ut ita dicam, fatum et sors ineluctabilis habendum sit peccatum, morbusque animæ magis miseratione quam odio dignus, quum præsertim pœna omnis animam castigandi illique medendi, nunquam autem ultionis causa, irrogetur, quæ potest esse, post obitum, ab optimo Deo repetita pœna, nisi hæc animæ ad sanationem, id est, ad salutem, quasi ad finem suum, constituatur? Quod potest æternum esse supplicium, hujus supplicii quæ ratio et justitia? Aut potius quid dici potest immanius, quid absurdius, quam illi inutiles cruciatus nunquam sanandarum animarum remedia?

Non eadem valet consecutio in Pelagiana doctrina, ab Origenis sententia tantopere discrepante, quum de consilii capiendi causis, tum de pœnarum præmiorumque ratione, tum etiam fortasse de possibilibus ad convertendos peccatores omnes efficacibus remediis. Nil mirum igitur, si hunc in ea re potissimum Pelagius redarguit [1].

[1] August. opera ed. Benedict., t. XI, p. 321. Æterna supplicia non negat quidem Pelagianismi illustris impugnator; sed hanc doctrinam, vix et difficile accepit, quippe qui, mutata verborum communi significatione, quasi immedicabilis ægrotationis sensum, magis quam ex consulto repetitas ab ipso Deo pœnas hæc habeat supplicia; et ideo, multo minus unum ab altero, quam utrumque a Pelagio de philosophica totius hujus quæstionis parte, dissensisse platonicos duo ecclesiæ patres, non immerito judices. — Vid. infra part. tert.

III. Ea sunt ex quibus asseverare non dubitem omnino aversam a Pelagiana, cui vulgo assimilatur, Adamantii de libero arbitrio doctrinam : cui doctrinæ, si nonnulla repugnantia verba ejus in magnis voluminibus forte reperirentur, ego certe non mirarer, quum in hac tam ancipiti, ambigua et implicata quæstione perpaucos invenire sit, vel inter peritissimos scriptores, qui in hoc lapsi non sint, ut, contra suam constantiorem sententiam, interdum dicerent. Non nego quidem, auctoris in scriptis, hujusmodi esse loca, ex quibus parum attente legenti videri possit illum in hoc incidisse. Ea autem si attente perpendas, si recte intelligas, si discrimen fiat quorum fieri necesse est, verborumque omnis ambiguitas tollatur; si subaudita vera restituas, falsaque non addas ; si ea quæ abusive dicta sunt ad proprium sensum immerito non revoces; si hoc aut illud ex eo quod non asseruerit, auctorem negavisse, aut ex eo quod non expresse negaverit, asseruisse, temere non arguas, nihil credo repertum iri, quæ ei vulgo tribuitur, sententiam significans.

Quod quidem discrimen inter non asseverantem et negantem omisisse Huetium judicabis dicentem : « Bona fide » responderim gratiæ auxilium admisisse illum, non vero » prævium incitamentum, ut pluribus infra disseram : « In » » rebus bonis, inquit, humanum propositum solum per se » » ipsum imperfectum est ad consummationem boni ; adju- » » torio namque divino ad perfecta quæque perducitur. » » Addidisset « *et excitatur*,» bene res haberet : quum ex li-

» quido synodi tridentinæ decreto sess. 6, c. 5 et c. 4. ratum » sit excitanti atque adjuvanti gratiæ Dei libere hominem » assentiri et cooperari, nec ipsum nihil agere, quum inspi- » rationem illam recipit, quippe qui illam et abjicere possit[1].» Sed hoc quod ab Huetio desideratur *et excitatur* cur aut addidisset aut exclusisset auctor, quum de hac re nequaquam apud eum esset quæstio, quum non de antecedentibus causis, sed contra sequentibus effectibus et de potestate voluntatis ageretur? Non addidit *prævium incitamentum* ubi non erat locus; illumne ideo respuisse contendas, quum tot aliis in locis affirmet?

Idem dici potest de isto usurpatissimo epistolæ Pauli commentario. «Voluntati quidem Dei certum est quod nullus » obsistat; sed voluntatem ejus justam rectamque esse scire » nos convenit. Ut boni enim aut mali simus nostræ volun- » tatis est; malus autem ad cujusmodi verbera, et bonus ad » cujusmodi gloriam destinetur voluntatis est Dei. » « *Voluntatis est* » esto. Unde autem ipsius voluntatis actus? Ex nudane et abstracta quæ, per se, sine causa magis inclinante, consilium capiat, voluntate; an, ex serie causarum, cujus ipsius Dei voluntas efficientiaque principium sit? Ea est quæstio quam ne agitat quidem Origenes. Quonam igitur jure ejus silentium interpreteris? Exeo quod voluntatis actus causam definitam non affirmavit, quum procul ab incepto ea quæstio esset, num ideo illum negasse dicendum

[1] *Origenian.;* l. II, 9, 7, N° V, pag. 188.

est? Et quod indifferentem libertatem non negavit, num etiam asseruisse dicas?

Per eamdem distinctionem simulque per illam formulam, quam ab hujus operis initio instituimus de diversis *libertatis* vocis significationibus interpretandis, facile diluetur argumentum quod aliquis inferret ex eo quod de illo scripturæ divinæ dicto « neque volentis, neque currentis, sed » miserentis est Dei », auctor declarat, nihil aliud illud significare, nisi hominem sine divina ope nihil posse perficere; sed non inde sequi, minime ad rem valere actionem humanam. His enim verbis certe assentiret quisque Leibnitzianæ doctrinæ defensor, qua libera vis agendi eademque semper causis subjecta fusius demonstratur. Quod si, in hac distinctione humanam inter et divinam potestatem, omnino taceat de actione divina in voluntatem ipsam hominis, non ideo, hanc actionem negat: tota autem ibi, ut plerumque apud eum quæstio, non in causis, sed in effectibus et potestate voluntatis versatur.

Per distinctionem quam supra instituimus de præmiis et meritis eorumque duplici ratione, soluta jam sunt, tum gravissima Jansenii argumenta [1] tum ea quæ ex iis deducere esset locis quibus, ait auctor, primum hominem conari debere et, nonnisi ejus conatibus, divinam opem tribui. Nonne etenim dici potest conatus illos, quibus meremur, ex priori gratia gigni, et ideo, necessitatem gratiam merendi

[1] Jans.; *August.*, tom. I, l. 6. C. X.V.

ordinem esse, ut supra dictum est, decretorum Dei. Exempli causa, quum ea scripturæ divinæ : « Auferam lapidea » corda ipsorum et immittam carnea,» sic interpretatur, «non » quod ad eruditionem et fugiendam inscientiam nihil con- » ferat is, qui se illi curandum commisit, sed quod eum » Deus promittat quando ita vult curaturum, et, si qui, » malorum suorum conscii, ad se accedant, se iis scientiam » inditurum [1].» Nihil inde concludi potest libertatis absolutæ causa. Ex eo enim quod hæc designata Dei gratia voluntati hominis posthabeatur, non sequitur eam ipsam voluntatem nulli anteriori gratiæ, nulli omnino antecedenti causæ posthaberi.

Per ea, quæ supra dicta sunt, de similitudine et dissimilitudine voluntatis indifferentis et inconstantiæ ex nihilo ortæ creaturæ, ad unam non referenda esse verba quibus auctor alteram expromit, satis liquet.

Per varios animi motus et affectus, diluentur quæ ex legis rationisve judiciis inobedientia inferri possint : illa enim ut ab indifferenti voluntate, sic ex indurato aut crasso corde aut magis in contrarium inclinante, ex cæca libidine et superante spiritalem carnali concupiscentia, gigni potest.

Quoad autem de tripartita hominis natura, mediaque inter spiritum et carnem anima divisionem quam non absque dubitatione proponit auctor, mirum esset si in ea omnino platonica divisione contineretur a Platonismo tantopere

[1] Orig. op. : t. I, p. 122.

aliena notio, quam inde exprimere conatus est Jansenius[1], sed imo tantum abest ut per eam mediam animam, significetur eligendi sine causa vis, ut contra, eam ipsam ex proprio judicio consilium capere expresse declaretur[2].

Insigne abusive dicentis hoc est exemplum : « Sciendum » tamen est, quod possibile est aliquem esse vocatum apos- » tolum, aut vocatum prophetam aut vocatum magistrum, et, » si neglexerit vocationis suæ gratiam, decidere ex ea, sicut » et Judas, qui Apostolus vocatus est, et, negligens vocatio- » nis suæ gratiam, ex apostolo effectus est proditor; et fuit qui- » dem vocatus Apostolus, sed non fuit electus Apostolus[3].» De qua autem gratia agatur, hæc est totius rei summa. Totam causarum voluntatis actus coacervationem, ipsa solummodo excepta voluntate, quæ, per se ipsam, actum ad electionem perducentem in *electo* efficiet, in non *electo* non efficiet, per eam vocationem significari, non solum nulla satis est firma probatio; sed etiam, non aliter apud eum inter se differunt electio et sine electione vocatio, quam ab inferiore inchoataque præcellens peractaque virtus[4], ut, si hæc gratia

[1] Jans.; *August.*, t. I. lib. II, c. V.

[2] Orig. op., ed. c., tom. IV, pag. 473 et suiv.

[3] Ibid. *ibid*, pag. 462.

[4] « Sic, inquit auctor, et puto esse quosdam vocatos quidem ut pa- » tiantur pro Christo, non tamen electos, id est, vocatos martyres, sed » non electos martyres ut sunt illi, qui post tormentorum agones et car- » cerem non usque ad finem in confessionis tolerantia perdurarunt. Est et » vocata virgo, sed non electa virgo, quæ scilicet non fuerit sancta cor- » pore et spiritu. Est et vocatus pastor, sed non electus pastor, qui præest » quidem gregi, et lacte ejus nutritur, et lanis ejus operitur, sed infir- » mum non requirit, et claudum non colligit..... »

sit, et alteram verisimiliter esse colligatur. Quin imo, si alia fuisset nostri scriptoris sententia, quî ejusdem loci initio hæc protulisset? « Et pro diversitate gratiæ comple- » tur illud quod scriptum est « multi autem vocati; pauci » » autem electi.» » Quæ vero profert verba «non dicit Apos- » tolus velle mala aut velle bona et item meliora aut pejora » facere ex Deo esse » sed universe velle (καθ' ὅλου θέλειν) » et universe currere [1] iis respondens, qui ex eo quod dictum sit « velle et efficere a Deo esse » (τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνέργειν ἐκ τοῦ θεοῦ), inducunt, ideo, nos nostræ spontis non esse, si a ratione totius doctrinæ sejungas, proprioque intelligas sensu, Pelagianam libertatem sonare merito certe dixeris : sin autem ad totam auctoris doctrinam animum intendas, verisimillimum tibi videbitur abusive dicta fuisse, oppositionemque in his institui, non absolute inter hominis Deique potentiam aut actionem; sed, ut mos est, inter actionem Dei, quæ, sine voluntate humana fiat, et hanc ipsam voluntatem, nullo habito discrimine utrum per Deum quoque fiat, necnon, hæc ipsa humana voluntas : non secus ac si dixeris, quod reipsa unum erat auctori propositum :

[1] T. I, p. 132. Ibi sic loquitur : « Præterea si velle et efficere a Deo est, » et multis in ore est a Deo esse velle, a Deo agere (τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνέργειν » ἐκ τοῦ θεοῦ), et si male velimus et male agamus a Deo hæc nobis conti- » gerunt; quod si ita est non sumus liberi, et rursus, quum bona volumus » et potiora excepimus, si quidem a Deo est velle et agere non nos fa- » cimus meliora; sed nos quidem visi sumus (ἐδόξαμεν) hæc autem Deus » dedit. Quare neque in his nostræ spontis sumus. Ad quod respondendum » non dicit apostolus.....»

quamvis non ex te, sed solum ex Deo sit, te in universum velle et agere posse, nil inde sequitur penes te non esse illud aut illud velle et agere; et a te ipso non facta esse quæque, sive bona, sive mala egeris. Cæterum utraque de libertate doctrina *universe velle* et *universe currere* a Deo inditum esse agnoscit, velle autem ab ipso homine, hac universa facultate utente, fieri; sed hæc est contentio, tum apud philosophos, tum apud theologos: num propria vi, sine ulla aut sine magis inclinante causa, hac facultate uti possis.

SECUNDA PARS.

I. His ita extricatis, si quæratur ad summum, quam notionem de ea quam toties celebrat cuique propugnat acerrime, libertate arbitrii sibi finxerit Origenes, respondebimus: ut a Pelagiana (quod monstrare nobis potissimum in animo fuit), sic quoque ab Augustiniana discernendam esse, maximo autem jure cum græcorum philosophorum placitis comparatam fuisse, quippe quibus, si, non in tota omnino quæstione, at saltem in præcipua re plane congruat.

Libertatis principium et fons plerisque Socraticis philosophis ratio ipsa est, quæ quum hominem a bestiis secernat, ita etiam humanam voluntatem a cæco bestiarum impetu, eorumdem philosophorum judicio, distinguit; sola ex inde naturam moralem constituit hominis, quem sola

aptum ad virtutem, et proinde laude aut vituperatione, mercede aut pœna dignum efficit. His quidem inniti videtur Plato, qui in sapientia omnium virtutum principium et originem, et in vi auctoritateque τοῦ λογιστικοῦ virtutem totam ponit, qui omne morale malum ex ignorantia et errore deducit, qui quodcumque prave factum, veræ contrarium admittentis habet voluntati, qui denique memoriam judicat quasi certum prædestinationis pignus ad supremas vices, in civitate a semetipso ficta, soli virtuti reservatas. Aristoteles prælationem (προαίρεσιν) quam motus principium (ἀρχὴν κινήσεως) facit, definiens ὀρεκτικὸν νοῦν, ὄρεξιν διανοητικὴν, βουλευτικὴν ὄρεξιν [1], aperte eamdem exprimit sententiam, cui etiam in majore doctrinæ parte inniti videntur Stoici affirmantes «rationem perfectam proprium hominis bonum esse,» « a sola ratione recta consummatam hominis felicitatem impleri» solam rationem perfectam beatum efficere hominem [2].

Sed illa sane potissimum patet apud Plotinum qui de libertate ex professo disserens eam primum in ratione, deinde in recta ratione, denique in ratione rectam scientiam includente collocandam esse et ad actum mentis (εἰς τὴν τοῦ νοῦ ἐνέργειαν) reducendam esse declarat [3], proindeque pravis

[1] Moralium Nichom., lib. III, ch. V. — Lib. VI, c. II.

[2] Justi lips. manuduct. ad stoicam philos. Diss. XVI.

[1] Ἀνάγοντες, τὸ ἐφ' ἡμῖν εἰς βούλησιν, εἶτα ταύτην λόγῳ θέμενοι, εἶτα ἐν λόγω ὀρθῶς. Ἴσως δεῖ προσθεῖναι τῷ ὀρθῶς τὸ τῆς ἐπιστήμης.

. . . . Εἰς ἀρχὴν τὸ ἐφ' ἡμῖν καλλίστην ἀνάγοντες, τὴν τοῦ νοῦ ἐνέργειαν. Διὸ καὶ τοῖς φαύλοις κατὰ ταύτας πράττουσι τὰ πολλά, οὔτε τὶ ἐπ' αὐτοῖς,

animis imagines ex corpore natas eam sequentibus concedere abnuit.

Origenes etiam e ratione libertatem deducit, quæ quidem illi, quemadmodum supra nominatis philosophis, nihil aliud est quam potestas scienter agendi prælucentibus notionibus quibus hominem docet ratio, quid sit honestum, et proinde quid humana facta valeant, interdum etiam suadente eadem ratione, aut moventibus his sensibus a corporis libidinibus adeo distantibus, quos illa in animis revocare aut excitare valet. Hoc principium dirigens quod *ἀρχὴν κινήσεως*, *αὐτὸν ἄνθρωπον*, *τὸ ἡγεμονικόν* nominans in ratione cupiditate mota (*ὀρεκτικῷ νῷ*, *ὀρέξει διανοητικὴ*) ponit Aristoteles, illud Origenes simpliciter *λόγον* vocat.

Hæc est vis activa rationabilis principii quam sub nominibus *αὐτεξουσίου*, *τοῦ ἐφ' ἡμῖν*, *τοῦ ἐξουσίου* planam facit et acerrime tueri conatur. Hæc est per quam non ab omni præpollente agendi causa, quum præpollens ipsa causa sit, non ab actione gratiaque Dei, quum genuina gratia ipsa sit, non ab omni consilii capiendi causa quum certissima consilii capiendi causa ipsa sit, sed sive a motibus rerum externarum, sive a cæcigenis corporis appetitibus et imaginibus, quæ nos ab honesto deterreant, solutam inducit humanam voluntatem, atque homines dignos laude evadere

οὔτε τὸ ἑκούσιον δώσομεν· τῷ δὲ διὰ νοῦ τῶν ἐνεργειῶν ἐλευθέρῳ τῶν παθημάτων τοῦ σώματος τὸ αὐτεξούσιον δώσομεν. Enn. VI, lib. VIII, ch. III vid. præter. Ibid., ch. II, et enn. III, lib. I, ch. X.

et virtutis præmia mereri posse declarat. Hæc est cui propugnare nititur adversus astrologos una et Valentinianos Basilideosque et omnes qui cuncta in ditione corporalis fati ita ponebant, ut omnino sublatis liberi arbitrii viribus nullum officii præceptis tradendis locum relinquerent.

Ἐκ τοῦ λογοῦ autem hujus præsentia triplex oritur effectus. Primum anima fit suî et factorum compos : hoc enim unum reapse nostrum est quod est factum nostra assensione; atque assentiri nihil aliud est quam scienter te agere, id est scientem quid et quare agas, aliqua causa unum consilium alteri anteponentem ; ita autem certe agit qui sui compos est. Deinde ille λόγος ostendit quid valeat quisque hominum; et discrimine inter bonum et malum facto, eum facit qui utrum utri anteponat profiteatur, et proinde pro arbitrio, laude aut vituperatione dignus fiat. Denique, idem, generosos appetitus et sensus in animo refovens et excitans, omnino diversos a corporis libidinibus cupiditatibusque, nobis vires præbet quibus, his devictis debellatisque, superiores evadamus [1].

Verum enim vero quanquam cum philosophia græca de summo capite rei plane ita consentiat Origenes, modum excedas contendens iis quæ huc accedunt minime ab eadem philosophia differre illius doctrinam. Primum enim etiamsi in summa virtute solummodo summam esse posse libertatem pofiteatur, non tamen Platoni, Plotinoque concessisse

[1] Orig. op., ed. c. t. I, p. 108.

mihi videtur, nullam esse apud improbum libertatem, quum contra, vituperatione pœnaque dignum istum declaret per hoc ipsum quod sui suorumque factorum sit compos, honestumque ab inhonesto secernat. Imo vero, ubi eos oppugnat qui voluntatis humanæ actus sub ditione fati teneri contendunt, hoc idem ei in animo imprimis est ut monstret, exteris rebus, quæ sensus afficiunt cupiditatemque animi movent, hominem nunquam cogi, ut ipsis obtemperet, et inde ortis cæcis impetibus non effici quin sit culpæ reus. Adde præterea ex illius sententia duplicem quæ est in homine boni malique potentiam si, non fundamentum, at saltem indicium argumentumque esse libertatis arbitrii.

In his autem imprimis quæ sensit de animorum motibus affectibusque a græcis philosophis, quorum plerumque doctrinam sequitur, distantem sese præbet christianus philosophus. Si concedatur, quod concedere necessario debent quicumque omnem voluntatis actum certæ causæ obligari arbitrantur, scilicet, nunquam per semetipsum solum, sine ullo delectamento, causam idoneam agendi esse posse mentis judicium, sed per animi motus et affectus definitum constitutumque esse agere quidquid agamus, et, quod insuper inde sequitur, in ipsis honesti illecebris et quasi amoribus, quos excitat suî sitam esse rationem boni honestique voluntatis actus ; hæc præterea quæstio permanebit : utrum unica apud quemque nostrum sit omnium affectuum origo, amor scilicet immutabilis ad summum et unicum spectans bonum, cujus diversos respectus diverso modo appetentes, si recte dis-

cernimus, bene; sin fallaci specie decipimur, prave et sentimus et agimus; ita ut, hac eadem permanente agendi causa, in altera, in præceptis scilicet, doctrinis et judiciis et quocumque mentis assensu, haberetur omnium rerum humanarum summa, diversi mores et habitus et quidquid bene aut inhoneste agimus. An contra diversa diversis in animis, et ex semetipsa mutabilis sit sentiendi vis, ita ut, variis motibus variisque affectibus ex eadem causa eodemque mentis judicio provocatis, inde varii oriantur hominum mores, honesti rectique, aut contra turpes et inhonesti prout in animo honestæ inhonestæve cupiditates magis valeant. Hæc posterior opinio Augustinianis de gratia christiana interpretationibus quasi fundamentum subesse mihi videtur. Græciæ philosophi contra plerique, Platonici scilicet et Stoici itemque peripatetici, quibus hoc erat commune institutum, ab honesto utile sejungi non posse beateque vivere in una virtute positum esse, et jure in sermone Græco per unum verbum εὖ πράττειν significari simul beatam et honestam agere vitam, persuasum videntur habuisse, omnibus hominibus esse intus in animo eamdem et præcipuam unius boni cupiditatem, et diverse eos agere ex diversis mentis judiciis; proindeque omnem pravam voluntatem ex errore, rectam ex sana mente oriri, ita ut, satis sit ad bene agendum bonum disgnoscere, omnisque ex doctrina pendeat virtus, cujus cæteras partes sapientia sola comprehendat.

Ex his tamen quæ supra retulimus ab ipso scriptis de caritate, de fide, ejusque cum bonis affectibus animi

connexione, de spiritus sancti gratia, de satietate et tædio, de affectuum mutabilitate pro prima peccati causa ab eo habita, paululum, in ea re, a Socraticis illum recessisse haud immerito judicaveris.

Propria denique Origenis judicanda videtur ea de qua sermonem jam habuimus Pelagianæ indifferentiæ, ob falsissimam sed speciosissimam causam, assimilata, notio liberi arbitrii quod, interveniente animi mutabili natura, a libertate plena separatur effectumque est hinc ex principio rationabili, (ἐκ τοῦ λογιστικοῦ) cujus ope, quidquid vere bonum discernentes appetentesque, vincere possumus irrationabiles appetitus; illinc ex ejusdem principii vitio possibilique defectu; unde fit ut duci possimus iisdem appetitibus, qui quum plane superati sunt et ad nihilum, ut ita dicam, redacti, principio rationabili ad summum gradum provecto, nulla jam est homini cum semetipso pugna, nulla imo ancipitis animi deliberatio, nec ferme quidem electio, evanescente arbitrio, evanescit libertas arbitrii, sed tum plena libertas est, quæ liberum arbitrium obvolvit obvolutumque obruit.

II. Quibus positis, si quæratur quid Origeniana de libertate doctrina, sive cum Pelagii, sive cum Augustini placitis similitudinis aut discriminis habeat; primum quidem fatebimur minus perspecta nobis forsan esse hæc placita, quam ut certum stabilitumque responsum de ea quæstione proferre nobis liceat: paucis tamen dicemus verbis quid de ea re in mentem nostram venerit.

Quod ad Pelagianos attinet, cum his consentire Origenes in hoc mihi videtur quod liberi arbitrii facultati ex mentis judiciis consilium capiendi, et universe his naturalibus ad bonum viribus quas postea negaturi erant Augustiniani, multum utrinque tribuatur; sed in eo ab iis dissentire quod apud hunc alio modo, apud istos vero penitus alio, hujus facultatis harumque virium ratio et natura intelligatur. Liberi enim arbitrii nomen apud Pelagianos sonat potestatem quam hi voluntati indifferenti tribuunt consilii capiendi sine causa quæ nos magis ad id inclinet aut alliciat; apud Origenem autem et omnes socraticos, potestatem eligendi prout affecti simus et inclinati. Rursus Pelagiani, quum naturæ vim qua agimus, et, sine auxiliante gratia Dei, pravas cupiditates superamus, tum etiam rationi obtemperandi indefectam potestatem ponunt in ea voluntate quam fingunt, ab omni affectu liberatam; Origenes contra, in honestis rationalibusque affectibus quibus innixi ad bonum, quod mente perspicimus, contendere possimus.

Cum Augustinianis autem, tum in eis quæ de libero arbitrio viribusque naturæ dissimilia a Pelagianis, tum in his, quæ de variis mutabilibusque animarum motibus diversa a Græciæ magistris docet, Origenes consensisse mihi videtur. Verum autem iis quæ de libertate et natura morali hominis ex ejusdem rationabili natura, græcorum philosophorum more, ille inducit, nihil apud illustrem latinæ ecclesiæ patrem reperias simile. Primum, non videtur ille alicubi, per rationem libertatem arbitrii definivisse, sed satis habuit habueruntque

ejus discipuli eam declarare ipsam esse voluntatem quam simpliciter definiebant : « animi motus *cogente nullo* ad aliquid vel amittendum vel adipiscendum [1]. » Ita non cogi volenteque animo agere, quod quidem non repugnat cum necessitate, quam a coactione sedulo secernit Yprensis episcopus; aut posse propositam rem sive velle, sive nolle, non eo sensu qui Pelagianorum est, sed posse velle, si magis res alliciat, nolle sin minus, per vocem liberi arbitrii Augustinus et ipse Jansenius tantummodo significant : unde efficitur ut, de duplici liberi arbitrii habilitate ad bonum malumque quum loquuntur, nequaquam respiciant effectivam et præsentem, e duobus contrariis unum eligendi potestatem, quæ in animali rationabili oritur e facultate hæc contraria simul intuendi comparandique; sed illa ad contraria æqua habilitas nihil aliud est, apud eosdem hos scriptores, quam mera δύναμις nullum conatum involvens, neque vim ullam sese ad certum definitumque actum promovendi. Deinde, adeo nihil indicat sanctum Augustinum culpam meritumve e discrimine inter bonum et malum necessario pendere sensisse, ut contra, expresse dicat, primum hominem inscium peccasse ; et apud delapsum hominem dignoscat genus peccatorum quæ definit, «quæ per ignorantiam quum agantur, mala non putantur, sed etiam putantur bona , » quin imo intelligit peccatum alibi atque apud admittentem existere posse.— Sed numquam ab

[1] Jans.; *August.*, t. III, p. 242, etc.

Origenis et omnium græcorum philosophorum doctrina magis discrepat et abhorret illustrissimus ecclesiæ latinæ doctor, quam interpretando apostoli *quod nolo hoc facio*, quod quidem, sæpius maxime proprio sensu usurpat, quasi significans rebellantis carnis adversus animum refrenandi motus impotentem, et universe deprimendo naturam humanam, quam per se ad bonum minime pervenire posse negat. Certe Origenis et græcorum philosophorum de animi vi ad bonum assequendum longe alia ac Pelagiana est sententia, sed ille cum his consentit in agnoscendo eamdem vim quam omnino negat sanctus Augustinus.

III. Totius Origenis doctrinæ, quæ isti libertatis notioni connectitur hæc mihi videtur ratio et consequentia : Deus summopere bonus, aut potius ipsum essentia bonum, quod optimum esset, non potuit non velle et instituere. Nihil non solum, ut apud Leibnitzium, sub respectu ad universitatem rerum, sed etiam nihil omnino fecit mali. Non operante, sed cessante, et intermissa vivifica ipsius actione, effectum est quidquid in mundo vere malum dici potest. Vere malum nihil aliud est nisi peccatum; cætera mala abusive dicuntur. Peccato ipso quamquam mirum in modum ad suum finem utatur Deus, non voluit ullam peccare creaturam rationabilem, quum contra, hunc ipsum summum finem illarum omnium, salutem suam cuique, assignet : primarium illius inviti opus consecuta sunt mala, qualia (hæc sunt auctoris verba [1]) primarium fabri opus consequuntur scobinæ,

[1] Orig. op., ed. c. t. I, p. 675.

ramentaque tortilia, et qualia cæmentariis ædificantibus adjacent lapillorum fragmenta et pulvis juxta rudera: ad destinationem beatitudinis a Creatore constitutæ sunt omnes animæ: quum autem ex hoc ipso quod factæ sint et ex nihilo ortæ in iis bonum inesse substantialiter non posset[1], sed solummodo per accidens, inde illæ necessario mutabiles convertibilesque ad malum exstiterunt, labi potuerunt et reipsa lapsæ sunt, non per indifferentiam voluntatis sine causa consilium capientis; sed contra ex tædio satietateque rerum spiritalium, quæ subrepsit in eas, deficiente bono divinoque caritatis affectu. Quia autem hæc satietas in causa fuit, cur male uterentur hac sibi insita quidquid magis placeret eligendi potestate, cui nomen inditur libero arbitrio, ideo dicitur, per arbitrium eas lapsas esse. Per ejusdem liberi arbitrii vim, ducente et juvante Deo, ad bonum et beatitudinem amissam denuo, si volunt, sese convertere possunt.

Quas eo ut revocet, monendo, docendo, suadendo, coercendo etiam, castigandoque, quocumque denique modo, movere et convertere induratum peccatoris cor, illud mulcere ac mollire, omni ope et opera nititur Deus; et ad eam magnam felicemque instaurationem, et ordinavit quæ non fecit ipse, sed præscivit, et quæ subinde fecit ipse, molitus est. Peccata non fecit, in quæ labitur mutabilis creatura, quam ex nihilo non ortam fuisse, ipse Creator, licet omni-

[1] Ibid., t. I, p. 666.

potens, efficere non potuit. Subinde multa ea fecit, de quibus vulgo querimur, falso dicta mala et potius habenda bona, quorum nonnulla hominis fortitudinem et ingenium exerceant [1], immanes scilicet belluas, inopiam, quandoque corporis dolores; pleraque autem quæ peccatum diluant et peccatorem adducant ut ipsum facinorum pœniteat [2], castigationes nempe et pœnas, non modo in terris sed etiam in inferis, quas, boni patris instar suos plectentis, ad sanandos animarum morbos veluti remedia adhibet. Iis autem quæ vere mala dicta sunt, quibus nec obstare, neque mederi quidem potuit, improborum scilicet, sive in terris, sive in inferis, malitia et actibus inhonestis, ad suum summum finem mirabiliter utitur benignus rerum conditor. In universum, ut auctoris ipsius utar verbis, quasi datam materiam, animas, pro diversis earum moribus ad suam cujusque aut ad communem utilitatem componit aliis quum fidei, tum etiam caritatis et sanctitatis dona inferendo; aliis autem pœnarum remedia adhibendo, aut sibimet ipsis illos relinquendo, si judicarit, per ea remedia non sanandos aut potius in pejus vertendos, nimirum per pœnas magis indurandos, iisque, ut diximus, ad cæterarum animarum utendo conversionem.

Inde est origo, inde constat ratio modusque cuique creaturæ rationabili pro meritis ipsius tribuendi, his, sive pœnas salutares, aut, si castigatione indignæ sunt, impunitatem, qua nullum pejus esse malum asserit Plato, illis

[1] Ibid., t. I, p. 560; — [2] Ibid., *Ibid.*, p. 695.

autem virtutis præmia aut gratiam, cujus respectus ad meritum in eo positus est, ait noster, ut nec irrationalis nec fortuita ipsa sit.

Sanctis illis sub legibus, ad summum totius divinæ in mundum actionis finem, scilicet ad universarum creaturarum instaurationem in prioris sanitatis et pristinæ beatitudinis statum pervenitur. Verum enim vero ex ea, quam protulimus, de ratione præmia merendi et de pœnarum notione, quanquam verisimiliter, non tamen necessario certeque sequitur suprema illa lex de universarum rationabilium creaturarum salute. Iis enim concessis quæri etiam possit : quid obstet, si, a justo bonoque volente Deo, non venit hæc in æternum damnatio, quin, ipsa ejusdem naturæ infirmitatis, per quam peccamus, sit effectus? Quum enim quæque rationabilis creata anima duabus viribus subjecta sit, quarum e conflictu illius salus pendeat, uni scilicet optimæ, per quam habet substantiam et cognitionem bonosque affectus et, ut uno verbo dicam, quidquid in ea bonum est; alteri autem, quæ sita est in creaturæ ex nihilo factæ imbecillitate et inconstantia, magna inde quæstio exoritur, tum de universitate creaturarum rationabilium, tum de singulis hominibus, quis futurus sit hujus conflictus, ad ultimum, exitus. Quem in æternum miserabilem fore, et nunquam, ab extrema perditione, in quam, per malam infelicemque lapsus est voluntatem, relevatum iri peccatorem, christianæ fidei vinculis obligatus Augustinus, profitetur. De hoc autem exitu, quum tam obscura tamque alte abdita sit ratio

virium ex quarum conflictu pendeat, nil certe mirum, si paululum incertus videatur, parum sibi vulgo confidens, noster philosophus. Attamen sive magnitudine summi optimique omnium conditoris Dei maxime perculsus ; sive, pius homo, a se auctis fidei christianæ promissis, sive proprio suimet animi studio motus, omnes salvatum iri persuasum habet, non solum homines, postquam eos per ignis remedia in inferis purificaverit salutaris Dei severitas, sed etiam ipsos dæmonas, vel maxime maleficos. Sic, quanquam ex eodem loco profecti, per diversas vias diversisque causis alter ab altero recesserunt platonici duo illi scriptores.

TERTIA PARS.

I. De omnibus istis uberibus præclarisque sententiis, imprimisque de notione libertatis quæ totius doctrinæ cardo subsistit, quid sentiamus si quæratur, respondere non dubitabimus, quod jam ex tota istius expositionis ratione præsentire fuit, nostro quidem judicio probandam plene esse hanc notionem, laudandumque auctorem, tum ob ea quæ in ipsa comprehenderit, tum etiam ob ea quæ per ipsam excluserit.

Probandum quidem eum nemo certe non judicabit, quod, liberi arbitrii assertor acerrimusque propugnator, eos redarguerit, sive qui motibus astrorum, sive qui fati corporalis legibus omnes humanas res devincientes, nullum neque laudi,

neque vituperationi, locum relinquerent, et omnem sapientiam, omnem omnino virtutem ipsamque voluntatem humanam et actionem tollerent.

De difficiliore autem magisque controversa quæstione, quid sit ea libertas, quam existere fere nemo nisi stolidus unquam negavit; probandum, laudandumque asserere non dubitem, quod pleniorem efficacioremque fecerit quam facturi erant Augustiniani, sub eadem voce nihil aliud quam bonæ malæque voluntatis abstractam potentiam immunitatemque ab extera coactione declarantes. His enim definitionibus nequaquam comprehenditur quod libertatem tueri conanti imprimis in animo debet esse, et reipsa Origeni fuit, videlicet, patefieri, homini potestatem inesse a cæcis appetitibus sese cohibendi, honestumque persequendi quod mentis acie perspicitur. Quamvis enim voluntatem his irrationalibus agendi causis fingas ita submissam, ut iis resistere homini ne in mentem quidem venire possit, non ideo minus libenter et non coactus agens ille foret; nec minus velle aut nolle posset prout ipsi placitum aut non placitum esset. Ne mutis quidem pecudibus deest hæc per præcisionem dicta æquabilis contrariorum δύναμις, quum ipsæ, ut exemplo utar, aut metum per famem aut famem per metum cohibeant, et quando uni obtemperent non minus alteri obtemperare potuisse recte dicantur : ferme non aliter ac si de inanima re; de lapide, exempli gratia, dicas, qui in unam partem movetur in altera illam moveri potuisse. Licet igitur vere, tamen paulo inanius declaratur hæc contra-

riorum potentia, quæ ad vanam unius rei repetitionem recidit, quasi, quod velis, te velle posse dicatur. Ad eam autem, quæ sic in semetipsa et in abstracto inanis et frivola merito videatur, si ratio accedat cujus ope boni et honesti divinam formam perspicimus, efficietur ut nihil obstet, quominus possis ad eam formam totam agendi rationem accommodare, et, prout potestate utaris, dignus laude aut vituperatione evadas. Illam igitur præcellentem rationis participis creaturæ vim qua, cæcigeni fati rumpens fœdera, effectuum seriem ab externis causis solutam per semetipsam inchoare possit, victisque sensuum affectibus, quidquid optimum judicaverit et velit et efficiat, sub nomine liberi arbitrii τοῦ ἐξουσίου, τοῦ ἐφ' ἡμῖν, maximo jure defendere et manifestare conatur platonicus doctor.

In quæstione de liberi arbitrii effectibus, causisque quibus naturaliter illud determinatur, non minus quam de ejusdem natura Augustino præstare videtur Adamantius. Illud ab Hipponensi episcopo adeo celebratum : « *Quod nolo hoc facio* » pro vero sane quodam sensu accipi potest, non autem eo quo aliquantulum immoderate ab illustri ecclesiæ patre usurpatur. Vere quidem illud dicetur si de imperfecta et vix inchoata quadam voluntate agatur, quasi si quis dicat *nollem:* quem enim adeo depravata natura reperias, qui remota omni ipsius utilitatis specie honestum inhonesto posterius habeat? Vere etiam, si de futuris plenæ perfectæque voluntatis actibus quos regere, nostraque sub ditione tenere, summopere difficile esse confitemur, quasi

dicatur : *Quod nolo mox faciam et non est in me quin sim facturus.* Quod autem attinet ad plenam et perfectam voluntatem ejusque præsentes effectus illud præfatum falsum probatur, sensu intimo testante ex homine omnino pendere corporis motus, nisi quum, superantibus cæcis appetitibus, ille sui impos voluntateque proinde destitutus neque *volo* neque *nolo* dicere possit. Non coercendo, sed suadendo, ut monet ipse Origenes, mutata scilicet, non vero impedita voluntate, a bono nos avertere videntur malæ cupiditates. Quidni? Quum *facere* nihil aliud sonet quam, quod quisque velit, exsequi ; ita ut, si proprio sensu sumantur, hæc verba : « *Quod nolo hoc facio* » idem esset ac si dicatur : *Quod nolo hoc volo.*

Boni vero consilii capiendi de causis, utrum illæ in amore gloriæ et cujuslibet generis *cupiditate mundi*, rejecta vi qualibet amoris quem excitat suî quidquid bonum et honestum, auctore Augustino omnes ponendæ sint annon; ipsa sit judex conscientia quam recens auctor eloquenter testatur, quamque contra disciplinas quæ Socratem calumniari Regulique laudem deterrere audeant, vehementer invocat.

Verum autem quum Augustinianæ præstet Origeniana libertatis notio in eo quod plura comprehendat altiusque rem introspiciat, tum eadem in eo quod liberum arbitrium latius proferat, improbis impertiri non recusando, Plotinæ superare videtur. Hoc est enim neoplatonicæ seu potius platonicæ rationis vitium quod, omni discrimine false sublato,

improbum æque ac amentem aut ebrium sui impotentem judicet. Etenim de homine improbo vere dicas, quod de amente perperam asseras, quum honestum ab inhonesto utrumque una percipiens distinguere possit et reipsa distinguat, certo determinatoque modo eum hoc illi anteponentem elegisse, quod quidem est firmissimum argumentum altius inhærentis perversitatis quam severioris pœnæ remediis efficacioribus curare necesse est. Quin imo, quanquam concedatur græcis philosophis ita ad honestum et bonum natura formatum esse hominem, ut, nonnisi erroris causa, ab illo ad malum flectatur; attamen inter amentem et improbum hoc discrimen interest, quod hoc, vividiore sui conscientia agente, malum ab eo electum indicaret mentem magis deflexam a recta via ad quam, nonnisi majore vi correptionis, reducatur.

II. Quod nihil præter illam notionem libertatis ex τοῦ λογιστικοῦ confectæ defendat, quod eam libertatem tam strenue a se ipso defensam non absolutam, sed contra, causarum certis subjectam legibus putaverit, comprobandus an redarguendus sit Origenes, hæc est magis abstrusa quæstionis pars, magisque inter præstantissimos scriptores controversa, quam ut, certo modo, de ea dijudicantes, temeritatis præcipitisque audaciæ crimen fugiendi spem habeamus. Attamen quid de ea experti simus, quæ causæ fuerint cur ad eam subauditam in omnibus hujus disceptationis partibus sententiam adducti simus, ingenue, et, ut pyrrhonicorum, qui ab omni asseveratione abhorrent utar verbo, historice

narrare liceat. Quum eam opinionem, quæ libertatem arbitrii in voluntate ponit nulli adstricta causæ, a peritissimis, tum ad cartesianam, tum ad nostram ætatem pertinentibus philosophiæ scriptoribus, quasi a magistris accepissem, diu et tam firmiter huic adhæsi, quippe cujus mihi plane conscius esse mihi viderer, ut, ab ea mentem meam divellere ne ipsum quidem leibnitzianorum argumentorum agmen valeret. Postea vero, tum ad notionem Dei, tum ad humanorum judiciorum leges primarias magis intentum animum applicanti, quædam huic libertatis notioni repugnantia occurrerunt, quæ eo minus me soluturum speravi quo iis solvendis majore nisu jam incubueram: hoc imprimis scilicet, si per Deum omnia sunt et fiunt, quis potest esse voluntatis actus qui ab agente, aut si pravus fuerit, a deficiente Deo non omnino fiat? Et quomodo in nobis quisquam modus esse potest qui omnino ex nostra voluntate pendeat aut ex quavis alia causa quæ Deus non sit? Præterea, si, quæque accidunt per causam sufficientem, id est, quam datam effectus sequitur, et, qua absente, abest effectus, quî potest esse, ut, iisdem mentis judiciis, animique affectibus iisdem, in eodem statu et habitudine, eadem omnino vi voluntatis, iisdem omnibus rebus circumstantibus, modo hoc, modo illud contrariorum consilium capere possit? Si enim eventus quicumque non immutata sufficiente, id est, tota causa, non evenire potuisset, quî dicere fas sit totam hanc fuisse causam?

Exinde autem incertus inquietusque ad experimentum

conscientiæ reversus, et ad singula argumenta quæ sive psychologiæ, sive philosophiæ moralis ex parte vulgo proferuntur, quibus probetur absoluta libertas, et Leibnitzii moralis necessitas tollatur, cognovi, quo diligentius perpenderem, eo minus firma stabilitaque illa mihi videri, simul atque ex metaphysica parte huic libertatis notioni objecta, ita probabilia esse magis atque magis judicarem, ut nemo iis refragari possit. Ex argumentis quæ, auctore sensu intimo, afferuntur, hoc imprimis mentem mihi perculerat, multo scilicet inter se dissimiliora esse causarum consilii capiendi genera, quorum unum in honesto quod mente percipimus, alterum in animi sensuumve affectibus positum est, quam ut proportio quædam et comparatio cujusque eorum ponderis haberi possit et ex causis iis unam magis inclinantem dici. Et revera, inquiebam insuper, si per magis inclinantem quisque fit voluntatis actus causam; ea quæ est spiritus pro virtute adversus cæcas corporis libidines pugna, causarum inter se, memet segniter substante, nonne pugna esset, quum contra memet meis propriis viribus luctantem sentiam, quibus deficientibus victus, superantibus vero victor evadat spiritus? Altius vero rem perscrutanti mihi visus sum iis respondere posse primum : non vere quidem dici nullam omnino animi affectibus esse cognationem cum honesto, quod contra eo magis quamque naturam permovet et percellit, quo excellentior ea est, et, ut ait Plato, si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret suî. Illud tamen quodam modo vere asseritur honestum cum voluptate ponderari nequire;

quia scilicet infinita vis est in honesto, quod si manifestissime cerneremus, nostri et plane conscii et compotes, nec cæcis appetitibus inferiores, ad illud certe semper ferremur. Inde quod est in nobis maxime intimum et, ut ita dicam, magis nostrum et magis nos, ita hujus supremæ causæ agendi partes suscipit; inde ita cum ea causa essentialiter conjuncti sumus, ut revera in illius cum irrationabilibus appetitibus certamine, nosmetipsi certemus et cum ea victrice victores, cum ea autem victa victi simus. Quæ victoria quum per vim inditam divinitus, inditisque itidem affectibus animi motam, rationisque judiciis rectam vim referatur, ita cum summa libertate summa necessitas, cum humana vi et potestate in agendo divina potestas conciliatur.

Reipsa quidem non in sola honesti perceptione, sed in bono huic perceptioni conjuncto affectu, bonum capiendi consilium inesse causam intellexere quum ex philosophis, tum ex theologis præstantissimi scriptores. Sic inter hos Augustinus et quicumque, non secus atque ille, cum caritate virtutem ita conjunxerunt, ut ne mente quidem una ab altera separari queat; nec aliter qui, sine gratia delectationis nihil boni posse hominem contendunt. Sic inter philosophos divus Plato qui nomine principii rationabilis (τοῦ λογιστικοῦ) non vim solam judicandi dignoscendique quidquid bonum honestum et verum, sed etiam omnem animi ad ea elationem et motionem significat: sic stoici, peripatetici, et denique omnes socratici; sic M. Tullius

stoicorum interpres qui, illos redarguens utile ab honesto sejungentes, contendit Regulo fuisse utilius, servato jurejurando, ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia profiscisci; quam, « sacratum fide jus violantem manere » in patria, esse domi suæ, cum uxore, cum liberis, tenere » consularis dignitatis gradum....; » sic fere quicumque stabilia simul et excelsiora præcepta morum tradiderunt. Et re vera nemo tam infelix est qui hujus divini affectus igniculos nunquam senserit; nemo vir bonus, si conscientiæ latebras scrutetur, non agnoscet inde semper suam bonam voluntatem oriri. Hoc affectu, in infirma inconstantique hominis natura non sane efficitur illa, quam inducit Origenes, sanctorum impeccantia, sed tamen, ea natura quidam homines sunt, ut quibusdam flagitii sordibus sese inquinare nequeant. Et non ideo illi minus liberi dicendi sunt. Non minus liber Cato qui neque anceps, neque adversus pravas cupiditates luctans, per virtutis vias firmus incedit; non minus liber et ex semetipso efficiens quidquid efficit Deus, quia sine intermissione nullaque hæsitatione æternum bonus.

Quid autem de toties usurpatis istis exemplis, quibus certum fiat non solum a magis inclinante, sed ab omni omnino causa solutam esse voluntatem, de homine scilicet ambulare incipiente, cui nulla causa est cur unum potius quam alterum pedem priorem movere statuat; aut ex paribus in loculo absconditis nummis unum potius quam alios depromente? Pace dixerim præstantissimorum a quibus hæc

allata sunt scriptorum, inania esse istius modi omnia. Nullam enim esse consilii voluntatisque causam, quid mirum, ubi ne consilium quidem neque voluntas? Voluntas enim est mihi non hunc aut illum pedem movendi sed simpliciter ambulandi; pariter solummodo ex loculis depromendi pecuniam: cætera omnia, sinistrum aut dextrum pedem prius porrigere, hunc nummum potius quam alios extrahere quum absque voluntate, tum ideo sine causa voluntatis fieri debent. Non tamen jure dixeris, sine ulla omnino causa hæc fieri, sed irrationabili causa, sive ex corporis habitudinibus, sive ex adjunctarum rerum ratione orta, quæ quidem est ignota, instabilis et fortuita, quemadmodum sese habent causæ earum rerum quæ cæco casu accidere dicuntur. Ad ea autem si respicias, quæ ex consulto et plene tibi conscius ceperis consilia, sane in eo quem supra diximus honesti, aut in tuorum tuique amore, sive, ut sæpius fit, in pravis libidinibus a quibus sese cohibere debet quisquis bonum et honestum assequi cupit, certam causam invenies.

Verum autem philosophiæ moralis ex parte duplex hoc sumitur argumentum quo monstretur certæ legi voluntatem addici non posse. Primo objicitur nullum jam vitæ morumque institutis locum esse et frustra quid debeamus velle præcipi, si, hoc ipsum, velle, præfixum sit et ex causis insuperabilibus pendeat; deinde communem de meritis remunerationibus debitisque pœnis doctrinam tolli.

Quæ objecta in quos scriptores incidant nemo non mi-

retur. Per ea enim eveniret ut a stoicis, platonicis, fereque omnibus socraticis, a Leibnitzii Cartesiique discipulis, a præclarissimis doctorum christianorum, philosophiæ moralis everterentur fundamenta quæ soli Epicuri Pelagiique, ut omittam recentiores, discipuli stabilire possint. Inaniter sane de honesto et justo præcepta traduntur, nisi, eis obtemperandi, accipienti voluntas insit. Quid autem præcipientis interest, unde hæc voluntas oriatur et utrum, per antecedentium certam causarum seriem præfixa sit, necne? Præceptis igitur morum et institutis ut locus sit, satis erit, ad honestum quod quisque maluerit, eum non impediri quin vires intendat, et dici posse: « Si vis honeste vivere, hæc tibi observanda », præsertim quum addere sit: « Velle debebis si bonam beatamque vitam agere voles; » quin et multo magis quum velut apud platonicos : « Non velle non potes; illa enim est in animo ab ipsa natura tibi insita præcipua voluntas, quam obruunt et in oblivionem trudunt, potius quam tollunt carnis cæcæ et inhonestæ libidines. »

Verum enim vero, ea cui assentimur doctrina, adeo non tollit monitis institutisque locum ad honestam beatamque degendam vitam, ut, contra, latiorem præbeat, quam ea cui opponitur. In hoc enim tantummodo expenditur quid sit honestum; in illa insuper quæ honeste aut inhoneste agendi causæ viæque sint, et ideo quomodo privatus vir sui aut suorum et quomodo magistratus civitatis moribus consulere debeat: inde non parvæ utilitatis philosophiæ moralis illa pars in qua tantam efficiendi hominem meliorem quantam

in nova veraque physica illius opes augendi merito spem ponebat Verulamius. Nihil est reipsa majoris pretii quam animi in futura suîmet consilia imperium. Quod quidem inscii expetunt qui, contra voluntatem certis addictam causis, arguunt dicentes: Non igitur, in nostra potestate positum nos esse bonos et honestos. Qui si de præsenti loquuntur nihil omnino dicunt: aut enim se honestos esse vere pleneque volunt et ideo habent quod desiderant, aut nolunt et quod non habent non reapse desiderant. Sin autem de anteoccupandis futuris voluntatibus agatur, hæc est certe magna res et ardua ad quam maxime nititur quisque bonus vir et sapiens. Quam autem ut assequatur ipsi non impedimento quidem sed magno adjumento est doctrina quæ efficit, ut quæramus legem et causas quibus hoc aut illo modo pro tempore velimus.

Itidem meritarum remunerationum pœnarumque rationem sola firmatam plenamque efficit, nedum tollat. Si enim in hoc sita est summa justitiæ, ut quisque officiis fungi finemque legitimum persequi possit, impendiente nemine, et opes præbente eo qui hunc finem assequendum instituit, quî justus haberi possit Deus qui, quum det homini jussa, illum ab iis exsequendis per amorem sui insuperabilem, cuique ab ipso insitum, deterreat et hoc honestum quod rebus quibuslibet præferendum instituit cum illo bono ad quod non festinare non possunt omnes creaturæ non conjungat? Quî præterea sapiens, si ipse sibi ita dissentiat? Quî bonus rerum a se ipso creatarum curator si sanctas virtutis leges,

quibus, ut ait M. Tullius, hominum inter ipsos et vitæ quasi communitas continetur, sancire stabilireque omiserit? Quæ de Deo sub respectu ad creaturam, de magistratibus etiam, de principibus et legum conditoribus erga civitates, de patribus erga filios, et in universum de imperantibus erga subditos eadem dici possunt.

Præmiorum et pœnarum quemadmodum ratio, ita modus terminusque erit has in divinis humanisque rebus repetendi. In divinis sic propulsabitur ea vindictoria, ab Augustino vocata, quam solummodo ulciscendi causa repetentem Deum induxisse vehementer exprobrat Pelagio ille ecclesiæ pater; proindeque diluetur durius argumentum dicentium: Dei quem peccator offendit ipsi infinitati exæquandas esse pœnas, quas ad mensuram duritiei cordis perversitatisque animi peccatoris exigendas æquius benigniusque judicare erit; ita ut quicumque religione magistra supplicia æterna esse credet, non possit quin assentiat Augustino, et omnibus qui, sive ex miserabili quadam necessitate per rerum naturam peccato inhærenti, sive ex ipsius peccati æternitate ea oriri supplicia intelligunt. Sic præterea probatum stabilitumque fiet illud sublime, dulce et animos consolans christianorum dogma, scilicet, illi quem pœniteat, culpam omnino remittendam esse, eumque inter sanctissimos amicissimosque recipiendum.

Itidem, de rebus humanis, ab errore cavebitur eorum qui aut immodicas sumunt, aut sine utilitate, sive societatis hominum, sive dantis, sive exigentis pœnas sumendas esse

censent ; etenim qui Dei, idem et hominum puniendi modus debebit esse et ratio. Qui quidem modus ab illustri oratore, qui stoicorum disciplinam tam diserte aperuit, his verbis recte definitur :

« Est enim ulciscendi et puniendi modus. Atque haud » scio an satis sit, eum, qui lacessierit, injuriæ suæ pœ» nitere : ut ipse ne quid tale posthac, et cæteri sint ad inju» riam tardiores[1]. »

Nec autem soli illi refellendi qui ultra modum justumque finem pœnam acerbant, sed pariter illi qui ita eum finem negligunt, ut, in improborum punitione quiescendum, ut ita dicam, putare videantur, rati scilicet nihil amplius desiderandum, dummodo, ut aiunt, vindicatam esse legum majestatem, justitiæque sacra servata dici possit. Quibus concedendum sane majestatem legum justitiæque jura servanda esse et a Platone recte prædicatum iniquitate ipsa multo pejus malum esse iniquitatem impunitam ; dummodo eodem quo ipse auctor sensu intelligas, non secus ac si dicatur, ipso morbo pejus malum esse morbum cui non adhibeatur curatio, quæ, non pro seipsa certe, sed pro sanatione adhibenda est. Etenim ex eo quod inhoneste factum pœnas dedit, non minus miserum est illud patratum fuisse nec minus gravis merenti dolor. Morbis ergo animorum mederi, hic finis est ad quem pro suis viribus niti quisque debet, non solum pœnas (quibus ne minime quidem, si nihil ad rem valerent

[1] M. T. Cicero ; De officiis.

uteretur) adhibendo, sed etiam disciplinam, persuasionem, instituta, ordinem et compositionem rerum, et denique omnia ex quibus speret a pravitate averti et revocari posse homines. Sic complebitur quod dicit Leibnitzius definiens justitiam, bonitatem cum sapientia conjunctam.

Quæ publicas, eadem privatas injurias ulciscendi tenenda erit formula, descripta a M. Tullio dicente : satis esse ut quisque de se ipso caveat ; itemque objurgationum et odiorum quæ ex his injuriis oriantur is debebit esse modus ut, imprimis sola offensoris malitia in odium veniat, non ipse offensor, qui majori miseratione dignus est, utpote omnium pravissimo morbo implicitus : imo et ipse non malevolentia sed benevolentia quantum fieri potest prosequendus est (quî enim bonus, ut ait Plato, malum afferat, aut potius bonum non afferat ?); sin autem offensorem pœniteat, si melior ille fiat, aut melius erga te affectus, in gratiam et in amicitiam sine mora et lætanter recipiendus est.

Haud dissimiliter ac de aliis, de semetipso quisque sentiat. Qui enim ad se revertetur, sane a se admissas esse culpas deplorabit, et eo magis illum pœnitebit quo honestior factus et ad meliora conversus fuerit : sed non desperabit, aut potius ex ipso suimet dolore pœnitentiaque fiduciam et spem solatiumque hauriet ; pœnitentia enim præteritas culpas redimi, peccatoremque omnino restitui, imo jam restitutum novumque hominem factum esse pro certo habebit. De futuris autem prudentissimus multum cavebit, sibi ipse diffidens, animi motus cohibere, perturbationes sedare, ab insidiis

earum præmuniri, et, uno verbo ut omnia complectar, certis legibus, voluntates quæ in posterum fiant, præsenti bonæ voluntati omni modo subjungere conabitur.

Pelagiana contra in definitione, neque hujusmodi de futuris prudentiæ, neque de præteritis in irascendo ulciscendove illi moderationi sapientique dijudicationi locus ullus esse potest; nulla puniendi ulciscendique ratio, nulla item mensura neque finis. Si enim, de ipso præterito indigneris et mœreas, quod non factum fuisse ne omnipotens Deus quidem efficere nunc valeret, nulla causa esse potest quin ab indignatione mœstitiaque desistas ; nullam ideo neque a Deo neque a cæteris hominibus, ne pœnitens quidem pleneque ad bonum conversus veniam, nullamque in honorem pristinum restitutionem peccator sperabit, quum ille suæ culpæ causa absoluta sit; nulla erit via a subjecto culpam abstrahendi et ab illo ad eam transferendi odium. Futurarum etiam actionum nulla curatio apud eum esse poterit, qui eas non ex certis causis quas ante occupare valeat; sed ex vaga instabilique et quodam modo fortuita voluntate illas pendere censeat. Ea igitur est utriusque doctrinæ dissimilitudo, ut una semper, ad præteritum respiciens, nihil de futuris provideat et caveat, illa contra ad futura solum respiciat, præterita tantum curans quasi futuri rationem.

Sin autem ita sese res habet in his philosophiæ partibus e quibus argumenta ad probandam libertatem absolutam deducuntur ; si in psychologia sensu intimo quem ipsa tes-

tem advocat ea opinio damnatur; si quoad philosophiam moralem cujus fundamenta et materiam servare stabilireque se solam profitetur, uberioribus sententiis utilioribusque præceptis locus in ea doctrina est quæ illi adversatur; quid erit in metaphysica ubi nihil præter illius difficillimam defensionem usquam tentatum? Equidem non intelligo quomodo sive cum cognitione Dei omnia quæcumque fiunt præscientis, per providentiam præordinantis et imo efficientis, ea libertatis notio concilietur, neque quid respondere possit cuipiam ex axiomate Leibnitzii contendentis, peculiaris singularisque facti non nisi singularem esse posse causam sufficientem.

III. Quæ quum ita sint, in promptu est, in omnibus quæ suæ huic libertatis definitioni consentanea sensit non probari non posse auctorem nostrum. Plane autem sibi consentiens judicavit nihil negotii esse in conciliando cum libertate præscientiam, providentiamque universam et actionem Dei omnia efficientis; quæcumque enim sit actio Dei in nos voluntatisque humanæ illius sive gubernatio sive *a fortiori* præscientia, quamvis aut æterne prævideat aut etiam faciat hoc aut illud magis mihi placiturum et fore ut ego velim; non ideo facit ut contrarias partes sequi non potuissem si eæ magis me allexissent; et, a fortiori, ut me non penes sit, partes quæ magis revera placeant sequi. Si malo me honestum esse, quamvis a Deo sit hæc voluntas, non minus et libenter et pro voluntate agere in me est, nec minus vere dicetur libere honestum me elegisse, quia si voluissem, sane inhonesti

vias sequi potuissem. Recte igitur voluntatem humanam liberrimam declarare una et in ditionem providentiæ absolutæque Dei potestatis subjicere Origenes non dubitavit. Prorsus a Deo esse itemque ab homine ipso hominis omnem bonam actionem, malam autem ejus ex Nihilo et deficiente actione hujus qui Bonum et Ens per essentiam est, recte asseruit; nullamque creaturæ rationabili adversus illam actionem reluctandi vim, nisi inertiam et imbecillitatem ex ipso nihilo ortam tribuit.

Cum his admodum congruunt quæ de gratia quoad philosophicam quæstionis partem (theologicam enim omitto) sensit platonicus christianusque scriptor. Recte quidquid est apud nos bonum gratiam esse judicat, nihilque sine gratia ab homine effici posse. Hæc non aliter sunt ac si dicatur nullam aliam absolutam causam, præter Deum, esse posse, nullam causam boni, nisi ipsam essentiam boni, nullam causam, nullumque esse effectum, cujus causa non sit universa omnium rerum causa. Nec minus sibi ipse constans non solum gratiam doctrinæ, ut Pelagiani, sed insuper, ut usurpato utar verbo, gratiam delectationis necessariam judicavit. Etenim sine quadam honesti delectatione, quî pravis libidinibus obsistamus ? Et unde illa delectatio, illæ divinæ virtutis illecebræ oriantur, nisi ex eo per quem omnia quæque bona facta sunt ?

Per actionem Dei præpollentem necessantemque, non solum nec auferri nec minui, sed etiam firmari et augeri libertatem recte illum judicavisse, ex his quæ antea dicta

sunt agnoscere est. Peccante quidem perditoque etiam in homine, quædam inest arbitrii libertas ex qua aliter velle potuisset, si ipsi fuisset in animo, et sua ei culpa merito exprobratur, et debita castigatione ille afficitur qui, si bonus et fortis, honestum inhonesto prætulisset; et, si prætulisset, non modo illud velle potuisset, sed etiam voluisset et ideo non peccasset : non autem minus idcirco judicem a vero parum recessisse Platonem et néoplatonicos, improbum contendentes contra suam ipsius voluntatem semper agere, Origenemque recte sensisse, in summa virtute summam inesse libertatem. Per rationem enim solam libertas efficitur, imoque voluntas ; nemo autem, nisi sapiens et bonus vir, ratione uti vere dici potest. Nulla nisi sui compoti planeque conscio libertas, ne vera quidem voluntas, inesse potest : solus autem sapiens plane suimet conscius est, et quid vere cupiat, vere non ignorans. Ut deliberatio fieri possit et assentio proindeque vere dicta voluntas, potestate opus est, quæ sæpius in magnis animi perturbationibus aufertur, in quæcumque voluerimus mentem intendendi : solus igitur sapiens et bonus et suis ipse appetitibus imperans assentire plenaque voluntate agere judicandus est. Quum denique unicum sit bonum ad quod tendunt omnes rationabiles creaturæ, unaque insita eis præcipua et intima honesti voluntas insit, insanus dicendus est sane, et quid velit nesciens, et quid velit non agens, et ideo non vere liber, quisquis ab honestatis et boni via recedit; solus vere liber qui illam semper tenet. Quod si per actionem Dei fiat, per illam

igitur, non modo non servus, sed etiam liber fit, illam quum doctrinæ, tum, ut verbo utar theologorum, delectationis, per quam, majore honesti amore perculsi, constantiores, evectiores, fortiores et a malis appetitibus expediti evadere solemus.

Ea summa libertas una et impeccantia (eam dico quam supra definiimus, Pelagianæ, cui falso assimilatur dissimillimam) quam sanctissimis attribuit Origenes, cum notione Dei convenit, cui, quanquam libertas non deerit, attamen optimus justissimusque et sanctissimus non esse non potest, ut ante Leibnitzium protulit Plato qui Timæum inducit quum interrogaretur : « δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν » respondentem : « Ἀγαθὸς ἦν....... » Si enim apud hominem per caritatis vim ex qua efficitur ut « delinqui ultra non possit, » augetur, nedum minuatur, libertas, quid Dei libertati obstat bonitas ex qua efficitur ut, quidquid optimum sit, ille non decernere non possit?

De meritis, platonicam auctoris nostri doctrinam quam libenter comprobemus ob supra scripta inutile est dictu; et nostro, velut illius, sensu, jure asseri simul, hominem, nihil posse absolute mereri, quum nihil apud semetipsum boni habeat cui causa tota non insit summus rerum conditor, nihilque ideo illi deberi absolute; et tamen sapientis, boni, justique et sancti rerum omnium dispensatoris esse, cuique pro sua, bona aut mala voluntate tribuere.

Quod autem attinet ad damnatorum in ævo futuro supplicia, quorum, quum triplex ratio sit, una scilicet quam

Pelagianis objurgat Augustinus quod pœnas, more ulciscentis, repetentem Deum induxerint; secunda platonica, sanandi convertendique ad bonum animas ex utilitate; tertia quam tenuisse mihi videtur Augustinus, qui æterna fore judicat ea supplicia sive ex ipsius diuturnitate peccati in quo sanctæ leges a summo numine institutæ permittere non potuerunt ut beata viveret unquam ab ipso creata rationabilis anima, sive ex ineluctabili lege fatalique rerum natura malum ex malo ducente, ut videre est, exempli causa, sordes morborum ex intemperantia patrum, aut ex ignavia paupertatem; ex discordia, societatum humanarum ruinam; ex neglecta virtute, tarditatem ad virtutem oriri; theologis discrimen inter duos platonicos patres faciendum relinquo, sed utrumque, philosophicis suis quæ probavimus placitis maxime constantes, primam merito respuisse, asseverare a nobis non alienum esse arbitramur.

Quid plura? quid ultra requiri potest ut certum fiat judicium quod confirmare nitimur. Sane eas esse nostræ doctrinæ partes, non nego, quas, ut recentiorum utar verbo, meras hypotheses merito dicas, certe judicandi quam imaginandi aut afficiendi vi minus gratas. Exempli causa, neque satietatem tædiumve per quod lapsas esse creatas animas inducit auctor, neque earum universam in ultima rerum consummatione salutem, quantumvis dulcis, sublimis, et ad consolandos animos idonea ista animi fictio possit esse, nemo certe quam minime logicæ disciplinis instructus pro certis stabilitisque accipiet, quum ipse non

acceperit Origenes, qui illas nunquam sententiose et arroganter, sed contra, utpote Platonis discipulus expertusque debilitatem humanam, in dubitationis modum utique proponit.

IV. Sed ea commenta, quanquam ad eam rem spectant de qua hanc instituimus imprimis disceptationem, non tamen ex ea omnino pendent. Eam autem ad rem si tota mens intendatur, scilicet ad quæstionem libertatis et cæteras omnes quæ huic subnectuntur, nihil apud auctorem nostrum erit cui plene non assentiri possis, et tum in eo quod liberum arbitrium non per indifferentiam voluntatis æquilibriive, perinde ac Pelagiani, quibus vias aperuisse falso arguitur, neque ut Augustiniani per meram et abstractam, hoc aut illud prout magis aut minus alliciat, agendi potentiam, quæ nihil sola per se obstet, quin, omnino servi simus appetitibusque subjecti; sed Socraticorum more per vim rationabilis principii definierit, maxime comprobandus; tum autem ex eo quod hanc definitionem non solum admiserit et defenderit, sed etiam ita intellexerit explicueritque, ab omni nihilominus immodico sensu effugiens, ita constanter tenuerit et quæque in ea comprehenduntur expresserit, ut nullam forsan doctrinam invenias ex qua manifestius monstretur quid ea polleat, quam late pateat, et quæ ex ea oriantur de rebus humanis divinisque notiones, maxime laudandus mirandusque mihi videtur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, c. d. vij.
Kalend. Decemb. ann. MDCCCLVI,

Facultatis Litterarum in Academia
Parisiensi decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

CAYX.

INDEX.

PARTIUM ET ARTICULORUM.

PROLEGOMENA.

PARS PRIMA.

AB INDIFFERENTIA PELAGIANA PENITUS AVERSAM ESSE ORIGENIANAM LIBERTATIS NOTIONEM MONSTRATUR.

PARS SECUNDA.

VERA ORIGENIS DE LIBERTATE ARBITRII NOTIO APERITUR.

PARS TERTIA.

QUID DE SUPRA DICTIS SENTIENDUM QUÆRITUR.

ERRATA.

—

Page 2, ligne 24. De hac vero autem ; *effacez :* autem.
— 5 — 24 au lieu de παραβαινοίμην ; *lisez :* παραβαίνοιμεν.
— 5 — 27 — itadat ; *lisez :* ita dat.
— 7 — 2 — arbitrium non concederent ; *effacez :* non
— 7 — 14 — firi ; *lisez :* fieri.
— 12 — 23 — creaturæ vitiorum ; *effacez :* vitiorum.
— 16 — 24 — illecebra ; *lisez :* illecebræ.
— 20 — 16 — a Pelagio, autem qui ; *lisez :* a Pelagio autem, qui.
— 22 — 23 — Augustinionorum ; *lisez :* Augustinianorum.
— 25 — 11 — Hae responsio ; *lisez :* Hæc responsio.
— 25 — 14 — ἁμαρτησόμενον ; *lisez :* ἁμαρτησομένου.
— 26 — 18 — his verbis respondit ; *lisez :* his verbis respondet.
— 40 — 1 — pœnitus ; *lisez :* penitus.
— 40 — 2 — accidant casu ; *lisez :* accidant casus.
— 40 — 13 — melius quidem status ; *lisez :* medius quidem status.
— 40 — 17 — suapta ; *lisez :* suapte.
— 41 — 15 — Origines ; *lisez :* Origenes.
— 42 — 18 — homnium ; *lisez :* hominum.
— 44 — 3 — cur illam, potius quam hanc opinionem ; *lisez :* cur illa, potius quam hæc opinio.
— 45 — 6 — necesaria ; *lisez :* necessaria.
— 45 — 26 — casigat ; *lisez :* castigat.
— 47 — 1 — exprobata ; *lisez :* exprobrata.
— 59 — 24 — disgnoscere ; *lisez :* dignoscere.
— 63 — 15 — optimum esset, non potuit ; *lisez :* optimum esset, id non potuit.
— 66 — 8 — præmia merendi et de pœnarum notione ; *lisez :* præmia merendi pœnasque obeundi.
— 70 — 25 — Plotinæ ; *lisez :* Plotinam.
— 72 — 24 — quicumque ; *lisez :* quilibet.
— 78 — 19 — impendiente ; *lisez :* impediente.
— 82 — 25 — sin autem ; *lisez :* si autem.
— 85 — 16 — assentio ; *lisez :* assensio.
— 87 — 1 — Pelagianis objurgat ; *lisez :* Pelagianis exprobrat.